Dono datus mihi a b. Autore
amico meo aestimatissimo
die 16 Januar. 1701

Kharn 1811.

[illegible]

✝ Incerti Auctoris
(qvi vergente Seculo XIII. vixisse videtur)

CHRONICA DANORUM,
& præcipuè

SIALANDIÆ,
Seu


Chronologia Rerum Danicarum ab Anno Christi MXXVIII. ad Ann. MCCLXXXII.
cum

Appendice Chronolog.
usqve ad Ann. MCCCVII.

ex veteri Membrana eruit, primusqüe edidit

Arnas Magnæus.

LIPSIÆ,
Apud Joh. Ludovicum Gleditsch,
Anno M DC XCV.







Illuſtriſſimo atque Excellentiſſimo

DOMINO,

DNO. MATTHIÆ MOTH,

Ordinis Danebrogici Eqviti Aurato,

Sacr. Reg. Maj. Daniæ & Norvegiæ

Secretario Supremo,

Status, Juſtitiæ & Cancellariæ Conſiliario &c. &c.

Patrono ac Mæcenati

obſervantiſſimè colendo.



Illustrissime ac Excellentissime

DOMINE, Mæcenas Optime.

UT præsentem Tibi libellum dedicem, duo præcipuè me movent. Unum mihi comune eſt cum plurimis illorum, qvi ſcripta ſua, Illuſtriſſimo nomine Tuo

Tuo inſignita, certatim ad Te conferunt: Nempe tam propè ab honoris fortunæque culmine Tuæ Te poſuerunt virtutes, ut benè ſe facere arbitrentur, qvotqvot ſuis Illuſtriſſimum nomen Tuum operibus præfigunt. Altera ſcriptionis hujusce cauſa me ſingulariter ſpectat, eſtqve priori longè gravior: Scilicet ex qvo inter clientes Tuos locum obtinui, tot tantisqve me beneficiis affeciſti, quot quantave nunquam expectare potuiſſem, etiamſi alias (ſi vera

fatear) magna ſemper à Te ſperaverim. Scio qvidem non capere hanc epiſtolam vel breviſſimam eorum commemorationem; nec fortè me, ſi ſingula prolixè prædicare vellem, multum gratiæ eapropter à Te reportaturum, quem laudes, etiam meritiſſimas, generoſe ſpernere, Tuoque egentibus patrocinio non captandæ gloriæ ergo, ſed innatâ animi bonitate, pioque de aliis benemerendi ſtudio opitulari ſatis conſtat. Interea honeſti nominis parum ſtudioſus eſſe, imò

imô infamiam nil metuere viderer, si tot beneficia, etiam palam à Te accepta, tacendo, eadem qvasi dissimularem. Arripio igitur illam, quæ circa hujus libelli editionem sese tam opportunè offert, Tibi gratias agendi occasionem; mentemque venerabundam ac gratum erga Te animum per hunc interpretem submissè denuncio. Extollant (& extollent certè si quis virtuti honos) qui dignè id facere possunt, Tuam in Regem fidem, in Patriam amorem, in rebus geren-

rendis prudentiam, industriam, æquitatem, de singulis benemerendi studium: adjiciant magnam, quâ polles, eruditionem. Ego, quod sine dedecore omittere nequeo, maxima Tua in me merita gratus ubique agnoscam. Accipe ergo, Illustrissime Domine, quem nunc transmitto, libellum, Tuæ in me bonitatis, & meæ erga Te observantiæ testem perpetuum: eumque placido & benigno, uti me solitus es, vultu aspice. Deus Te patriæ, Per-illustri familiæ, ami-



amicis ac bonis omnibus diu conservet incolumem, & res Tuas ubique feliciter cadere jubeat: ita voveo Lipsiæ Die XII. Augusti, An. Christi M DC XCV.

ILLUSTRISSIMÆ
EXCELLENTIÆ TUÆ

Humillimus Cultor & Cliens

Arnas Magnæus.



Lectori Benevolo S.

QVod in tui gratiam nunc editum vides Chronicon L. B. ante aliquot annos, cum in Thomæ Bartholini, viri de me optimè meriti (cujus præmaturâ morte Antiqvitates Septentrionis irreparabile damnum fecerunt) familia viverem descripsi ex pervetusto codice Membraneo Bibliothecæ Academicæ Hafniensis. Illo ante qvinquaginta circiter annos usum esse video *Stephanum Johannis Stephanium*, qvi suorum in Notas ad Saxonis Grammatici Historiam Danicam Prolegomenωn Capite VIII. ita scribit: *Asservatur qvidem in Regiâ Bibliothecâ Hafniensi* (sic Academicam nuncupat) *codex vetustus MS cui ad calcem hæc leguntur*: Saxo cognomine Longus miræ & urbanæ eloqventiæ clericus. Item eorundem Prolegomenωn Capite XX. ubi Saxonis laudatores, singulorumque de illo verba recenset: *Auctor vetustissimus cujus meminit Codex MS Regiæ Bibliothecæ Hafniensis:* Saxo cognomine Longus, miræ & urbanæ eloqventiæ clericus. Qvod Saxonis encomium in præsenti Chronico pag. 10. ad verbum legitur. Eundem codicem *Lyschandrum* in Præfatione ad OpusGenealogicum Regum Daniæ; & ante eum *Jonam Venusinum* in

iis,

iis, qvas de Fabula quæ pro Historia quam sæpissimè venditatur, seculi hujus anno qvinto Hafniæ disputavit, Thesibus secutos esse existimat dictus *Stephanius* citato Capite VIII. qvorum tamen neuter, si rectè memini, illum expressè allegat. *Hvitfeldium* etiam in egregio illo Regum Daniæ Chronico, qvod circa præsentis seculi initium elaboravit, eodem alicubi usum fuisse crediderim, de qvo nunc ulterius disqvirere non possum, opere illo destitutus. Nec alium qvam hunc, de qvo sermo est Bibliothecæ Hafniensis codicem intellexit ante laudatus *Bartholinus*, ubi inter manuscriptos libros, qvibus in suo Antiqvitatum Danicarum opere concinnando usus est, *Chronicam Sialandiæ* numeravit. Itaqve paucissimis hactenus lectus liber, nec nisi in unico hoc codice, qvantum constat, superstes, nunc tandem in lucem publicam prodit: in qvo qvid mihi vindicem, præter exscribendi emendandiqve laborem, ac breves, qvas in inferiori margine aliqvoties addidi, annotatiunculas, non habeo. Emendationem qvod attinet, primùm vitiosam scribendi rationem, dictæ membranæ cum aliis indocti illius seculi monumentis communem, ad hodiernæ orthographiæ leges per totum opus correxi: ac deinde ipsum Chronici contextum ab innumeris, qvas scribæ (auctoris enim autographum non esse hunc codicem inde liqvet, qvod errores exhibeat, qvos librarium, similibus literarum, abbreviaturarumqve, ut vocant, ductibus deceptum, commisisse apparet.) incuriâ contraxerat, mendis repurgavi; additis etiam, ubi opus

pus

pus esse videbatur nonnullis: quæ tamen, ut dignosci qveant, duobus semicirculis ubivis inclusi. Inter ea quæ mutavi, seqventia tantum commemoratione digna existimo: Pag. 2. lin. 6. pro *Nam &* *divini*, Membrana habet *Jam & d.* pag. ead. lin. 26. Membr. h. *multitudinem armorum*. pag. 5. lin. 20. pro *aut potens* Membr. habet *at potens*. pag. 9. lin. 16. Membr. h. *consolationis officio*. pag. 10. lin. 21. Membr. h. *sacerdotium adoraret*. pag. 12. lin. 3. Membr. h. *librum meditionum*. pag. 17. lin 13. Membr. h. *non solum cum pueris*. pag. 18. lin. 8. pro *Judicet inter nos* Membr. habet *Inducet inter nos*. pag. 20. lin. 5. Membr. h. *Bellum fuit Laling*. pag. 22. lin. ult. Membr. habet *obstrusas nat.* quam voculam, etiamsi inter mendas referri non mereatur, immutare tamen visum est, cum Codex Brandenburgensis & editio Tillieri illius loco *abstrusas* habeant, vid. inf. pag. 94. lin. 21. Pag. 26. lin. 20. pro *pertinuisse* Membr. hab. *pertimuisse*. pag. 30. lin. 6. Membr. h. *ad octãm*: ex qvo præter *octavam* nil effingere potui. pag. ead. lin. 20. pro *sit præsentatus* Membr. hab. *sic præs.* pag. 32. lin. 25. pro *ante lucem*, Membrana habet añ, (i: ante) lucañ. qvarum ultimam vocem legere neqveo, nec qvid significet diu rimari placet: librarii errorem esse arbitror: *ante lucanus* aliqvando inde formare volui, sed obstat abbreviaturæ ratio. pag. 33. lin. 15. Membr. h. *lenta sui argumentatione* pag. 36. lin. 7. Membr. h. *omnes autem infirmitates*. pag. ead. lin. 33. Membr. h. *ictu fulguris*. pag. 41. lin. 13. Membr. h. *dissimilatrix*. pag. 44. lin. 22. Membr. hab.

reve-

reverentissimum. pag. 45. lin. 5. pro *suspiciebat* Membr. h. *suscipiebat*. pag. 47. lin. 3. pro *auferunt* Membr. h. *afferunt*. pag. 49. lin. 16. Membr. hab. *Prædicator Dux*. pag. 55. lin. 16. Membr. h. *Consignanter*. pag. 56. lin. 20. pro *ex hac luce* Membr. h. *in hac luce*. pag. 68. lin. 3. Membr. h. *Jarmer Sclavos*. pag. ead. lin. 10. pro *restiterunt* Membr. h. *restituerunt*. pag. 72. lin. penult. Membr. h. *Comitis Holzsat*. pag. 74. lin. 23. Membrana habet *Castrum Lauhol*. Cæteros quos correxi librarii errores recensere inutile duco, cum plurimi eorum ejusmodi fuerint, ut à quovis facilè emendari potuissent. In reliqvis MStum codicem religiosè secutus sum, eo tantum excepto, qvod ille annorum Christi numeros à MXXVIII. usqve ad MCCCVII. perpetuâ serie continuatos exhibeat, eorumqve ultimo sequentes versus subjungat:

Hanc chronicam nulli manui liceat replicare,
Munda satis nisi qvæ fuerit, penitus qvoqve sicca;
Nam manuum sudor libros deturpat & udor.

ego vero in hac meâ editione omnes qvi MCCLXXXII. seqvuntur numeros, utpote ab antiqvo illo librario nudos relictos, unâ cum inutilibus hisce versibus desecuerim, atqve ex reliqvo ordine illos similiter omiserim; qvi vel nudi steterunt, vel ab alienâ manu adscripta qvædam habuerunt. Atqve hæc hactenus de ipsâ Chronici editione. De auctore illius nunc paucis dicendum. Ei quid nomen fuerit, ignorare cogimur, qvippe quod libro suo annectere ipse vel noluit, vel neglexit: nec ullus ab illius ævo Scriptor, qvantum




ſcio, annotavit. Danus quin fuerit, certè in Daniâ vixerit, non eſt qvod dubitemus; quis enim res in alienâ terrâ geſtas tàm minutè colligeret? Sacri ordinis virum fuiſſe, ipſum opus paſſim indicare videtur,nec fermè ſecularium,uti vocant,quisquam, illius ætate tantam lingvæ Latinæ vel eruditionis cognitionem habuit,ut ad libros conſcribendos aptus eſſet.Circa annum MCCLXXXII.obiiſſe illum, ex eo colligo, quod Chronicon ſuum ulterius non produxerit. Qvod ſi ipſum, annorum Chriſti numeros,quos in membrana uſq; ad MCCCVII. extendi ſuperius monui, continuaſſe, ac verſibus ante adductis opus ſuum clauſiſſe velimus; (qvod tamen librario melius convenire videtur) certè in dicto anno MCCCVII. calamum deponere voluit, grandioris ætatis,ac per eam appropinqvantis mortis, ut credi par eſt, ratione habitâ. Sed de his plus ſatis. Qvod ſupereſt L. B. tuum erit de hâc meâ opellâ candidè judicare; quæ ſi tibi probetur, impensè mihi gratulor. Sin minus, poſt Pithœi, Caniſii, Qvercetanorum, Goldaſti, Freheri, Piſtorii, Reuberi, Urſtiſii, Lindenbrogii, Labbei, Stephanii, Schefferi, Madeti, Meibomiorum, Twysdenii, Mabillonii, Galei, aliorumque, qvi præſentibus hiſce ſimilia, certè quædam non meliora, docto hocce ſeculo in lucem protraxerunt, celeberrima nomina me recipiam; jure ut arbitror exigens, ne mihi id vitio vertas, quod eruditiſſimus qvisque iis hactenus laudi duxit. Habeant iſtiusmodi monumenta ſuos nævos; ſcateant barbariſmis; refeftant interdum ea,quæ lectû planè ſunt indigna: attamen

tamen



tamen sine illis veteris ævi historiam cognoscere, neqvicqvam laboramus. Et sane quantum ad præsens Chronicon, invenies ibi non pauca, quæ in aliis Danicæ historiæ scriptoribus frustra quæres: Offendes illa, unde Adami Pontificum Bremensium Historiam uno & altero loco emendare poteris: ut alia, quæ in illius encomium dici possent, prætercam. Antequam hisce finem imponam, ad Auctoris nostri pag. 6. notari volo, verba illa: *ut supra notatum est*, quæ forte aliàs eò quemquam deducerent, ut libello huic nonnulla deesse crederet, cum de Erico & Nicolao nihil præcedat: non ad hos duos, sed tantum ad tres priores Svenonis filios referenda esse. Res clarior erit, si dictum locum ita distingvas: *Suen -- genuit qvinqve filios, -- qui singuli secundum ætatis ordinem regnabant. Haraldus primò, deinde Sanctus Kanutus, -- post qvem Olaf Fames (post hunc Ericus cognomine Egothe. Postremo Nicolaus,) ut supra notatum est.* Atqve hæc sunt, Lector Benevole, de quibus mihi hac vice tecum agendum erat: De cætero vale & me favore complectere.





Incipit Chronica Danorum, & præcipuè Sialandiæ.



MXXVIII. Sanctus Olavus, Rex Normannorum, in Sticlastath martyrizatꝰ est; de quo sic reperitur in historiis: α) Inter Knut Regẽ Danorum & Olef Regem Normannorum continuum bellum fu-" it: nec cessavit omnibus diebus vitæ e-" orum; Danis pro Imperio certantibus," Normannis vero pugnantibus pro li-" bertate. In quâ re justior mihi visa est" causa Olaf, cui bellum necessarium" (magis) fuit quam voluntarium. Si" qvando tempus à bellorum motibus" qvietum erat, idem Olaf judicio & ju-" stitia regnum gubernavit. Dicunt"

A eum

α) *Vide M. Adami Histor. Pontificum Bremens. lib. II capp. 40. & 43. Item lib. III. capp. 13. 18. & 19.*

"eum inter cætera virtutum opera ma-
"gnum zelum Dei habuiſſe, ut maleficos
"de terra diſperderet; quorum nume-
"ro cum tota barbaries exundet, præci-
"puè vero Noruegia regio talibus mon-
"ſtris plena eſt. Nam & divini, & au-
"gures, & magi, & incantatores, cæteri-
"que ſatellites Antichriſti habitant ibi;
"quorum præſtigiis & miraculis infeli-
"ces animæ ludibrio dæmonibus haben-
"tur. Hos omnes & hujusmodi beatiſ-
"ſimus Rex Olaf perſeqvi decrevit, ut
"ſublatis ſcandalis firmius in regno ſuo
"calefieret chriſtiana religio. Tandem
"ferunt beatiſſimum Regem ſeditione
"Principum, qvorum mulieres ipſe pro-
"pter maleficia ſuſtulit, à regno depul-
"ſum Norwagiæ. Et regnavit Knut in
"Norwagiâ ſimul & Daniâ, &, qvod nul-
"li Regum prius contingere potuit, & in
"Angliâ. Olaf vero totam ſpem ſuam
"in Deo ponens ad compremendos Ido-
"lolatras denuò bellum reſtaurat. Ita-
"que de Rege Sveonum, cujus filiam
"habuit, & de populis Inſularum infini-
"tam congregans multitudinem arma-
"torum, patrium regnum armis rece-
"pit. Rex igitur chriſtianiſſimus, for-
titu-

titudine in hoſtes, & juſtitia in ſuos ce-„ lebris, ad hoc ſe in regnum credidit„ reſtitutum, ut jam nunc nemini parce-„ re debuiſſet, qvi vel magus permanere„ vellet, aut Chriſtianus fieri nollet. Et„ jam ex magnâ parte votum implevit,„ cum pauci, qui remanſerant ex magis,„ (in) ultionem eorum, quos rex damna-„ vit, etiam ipſum obtruncare non dubi-„ tant. Fertur idem Rex, in papilione„ dormiens, ſomnium vidiſſe; cumque„ ſupervenirent hoſtes adhuc illo quie-„ ſcente, Dux ſui exercitus, Phin nomine,„ accedens Regem ſuſcitavit. Tunc ille„ ſuſpirans: O quid feciſti? inqvit; vide-„ bam me per ſcalam, cujus vertex ſi-„ dera tangeret, aſcendiſſe; Heu jam„ perveni ad ſummum illius ſcalæ, cœ-„ lumque mihi apertum eſt ingredienti,„ niſi tu me ſuſcitando revocaſſes. Poſt-„ qvam viſionē vidit Rex circumventus„ à ſuis Baggonibus, qvorum maximus & præcipuus ſceleris auctor erat, ut fertur, quidam nomine Calf bonde, occiditur & martyrio coronatur. Regnavit autem annis XII. in Norwegiâ. Ferunt il-„ lum quidam in gratiam Kanuti Regis„ Danorum latenter occiſum, quod & ve-„

"rum eſſe non diffidimus, eò qvod reg-
"num ejus invaſit. Tranſivit ad Domi-
"num anno ab incarnatione Domini ut
"ſupra notatum eſt, feria quartâ, Augu-
"ſti Kal. IIII. omnibus Septentrionalis o-
"ceani populis æterno cultu & devotiſſi-
"mâ veneratione memorabilis. Haral-
"dus quidam frater
" Regis Olavi &
"Martyris vivente
" adhuc germano
" Conſtantinopo-
"lim exul abiit, ubi
"multa contra Sar-
"racenos geſſit
"prælia. Is defun-
"cto fratre, cum in
"patriam revoca-
"tus eſſet, omnia
"Danorum mariti-
"ma ferro vaſtavit
" & igne: Sven
"Rex Danorum
"terga vertit. Inter
"Haraldum & Suen
"prælium fuit omnibus diebus vitæ eo-
"rum. Iſte Haraldus, licet multis im-
"peraret nationibus, propter avaritiam

MXLIIII. Sven factus eſt Rex.

MLXXIIII. Obiit Swen, cui ſucceſſit Harald filius ejus primus.

MLXXX. Obiit Haraldus, cui ſucceſſit Kanutus.

MXC. Rex Kanutus martyrizatus eſt in Othinshö, cui ſucceſſit Olef frater ejus cognomine Fames.

&

& crudelitatem ſuam omnibus erat in-"
viſus. Multæ eccleſiæ per illum diru-"
tæ, multi Chriſtiani ab illo necati ſunt."
Serviebat ille maleficis artibus, non at-"
tendens miſer, qvod ſanctiſſimus ger-"
manus ejus pro amplectendâ norma"
Chriſtianitatis certavit usque ad mor-"
tem. Cujus egregia miracula teſtan-"
tur quam carus Deo fuerit, quæ cotidie"
ad ſepulcrum ejus operatur Dominus."
Videbat hæc ille derelictus à Deo, nihil-"
que compunctus; oblationes qvoque"
ac theſauros, qvi ſumma fidelium de-"
votione collati ſunt ad tumulum fra-"
tris, Haraldus uncâ manu corradens"
militibus diſperſit. Propter qvam cau-"
ſam cum eum Archiepiſcopus incre-"
paſſet, ſprevit eum, dicens ſe neſcire"
quis ſit Archiepiſcopus in Norwegia"
aut potens niſi ſolus Haraldus. Et"
plurima alia mala fecit & dixit, quæ ſu-"
perbiæ ejus proximam intendebant ru-"
inam. Nam parum poſt exceptus ab
Anglis, cum ſuper eos prælium induce-
ret, ibidem cum omnibus ſuis extinctus
eſt. Poſt mortem Harthæknut Ma-
gnus filius Sancti Olavi regnavit in Nor-
wegia ſimul & Dacia. Mortuo vero Ma-

gno Suen filius Æſtrith ſuſcepit regni gubernacula, qui genuit qvinqve filios, forma ſpecioſos, qvi ſinguli ſecundum ætatis ordinem regnabant. Haraldus primò, deinde Sanctus Kanutus, qvi requieſcit in Othinshö. Poſt qvem Olaf Fames. Poſt hunc Ericus cognomine Egothæ. Poſtremo Nicolaus, ut ſupra notatum eſt. β.

MXCVI. Obiit Olaf Fames, cui ſucceſſit Ericus Bonus, ſepultus eſt autem in Rodos inſulâ exul & peregrinus.

MXCVIII. Exordium Ciſtertienſis ordinis: id eſt Griſei monachi tunc inceperunt primùm manifeſtè.

MXCIX. Capta eſt Hieruſalem à Chriſticolis, & factus eſt concurſus peregrinorum illuc.

MCI. Obiit VI. Idus Julii Ericus Rex qui cognominatus eſt Egothe, cum Botildâ Reginâ, uxore ſua legitima, in itinere Hieroſolymitano, in Cypro inſula. De ipſo ita refertur, qvod cum Romam perveniſſet, patriæ ſuæ conſulens libertati, à Domino Papâ pallium impetravit. Quo regno ſuo transmiſſo, incepta peregrinationis ſuæ iter peragere ſatageba

β) *vide præfationem ad Lectorem.*

gebat. Interim imminente termino tanti viri laboris, correptus febre diem sui transitus, divinâ providentiâ largiente, assistentibus prædicebat; locum eis assignans, quo humari optabat. Intuentibus his loci importunitatem & affirmantibus neminem ibi sepeliri posse, ait: Domini est terra, qvi & si inde me projecerit, extra cæmiterium sepelite. Regis sermo adimpletur: die quâ prædixerat moritur; ubi optavit, sepelitur; & factus est in pace locus ejus. Mirabile miraculum: Locus ille, qui omni mortuo illocalis antea exstitit, Rege sepulto, cujuslibet sepulturæ de cætero satis aptus apparuit. De eodem Erico ita legitur in Gestis Danorum: γ) Regnante eo, „agrorum habitus in tantam ubertatem „excessit, ut singuli annonæ modii toti„dem denariis permutarentur. Sed & „continuis regni ipsius annis eadem a„gris ubertas incessit. Qvo evenit, ut „non solum ex morum, sed etiam ex „temporum placidissimo usu Boni no„men acciperet. Hujus viri virtutes „summatim cognoscere tædio non sit. „Nam præter ingentia animi decora, „sin-

γ) *Vide Saxonem lib. XII. in Erici Boni vita.*

"ſingularibus naturæ incrementis eve-
"ctus, admirabili corporis magnitudine
"eò proceritatis excesserat, ut cætero-
"rum vertices humero ſuperaret. Nec
"longitudini inconcinna ſoliditas fuit, ut
"totam ejus compagem exactiſſimó na-
"turæ ingenio exſculptam elaboratam-
"que putares. Igitur ut corpore nul-
"lum, ita nec robore parem habuit. Ha-
"ſtæ aut lapidis jactu ſedens ſtantes vin-
"cebat, neqve illi ſitus, qvo minus forti-
"tudinis ſuæ experientiam ederet, effi-
"cere potuit. Eodem corporis ſitu ex
"robuſtiſſimis duos ſimul luctâ aggredi-
"ebatur, dumqve alterum attrectaret,
"alterum genibus oppreſſum urgebat;
"nec ante deſtitit, quam prius hunc, de-
"inde illum pedibus ſubjiciendo, ambo-
"rum manus poſt terga vinciret. Nec
"minori robore funiculorum certamen
"exhibuit. Qvippe unum dextrâ, alte-
"rum ſiniſtrâ continens, eorum extre-
"ma qvatuor præſtantibus robore ex ad-
"verſo diſtrahenda commiſit. Qvibus
"(eum) neqvicqvam ſede ſua detrahere
"laborantibus, ipſe funem utrumque
"modo dextrâ, modo læva corripiens,
"ingenti fortitudine effecit, ut aut tenen-
tibus

tibus restim excuteret, aut eosdem ad" se magnopere (renitētes appelleret, fu-" nemqve ducere) neqveuntes seqvi co-" geret. Eidem qvoqve speciosissimus" vocis habitus fuit. Eqvidem conciones" non solum præstanti facundiâ, sed eti-" am tantâ pronunciationis amplitudine" celebrabat, ut in actionibus non solùm" à præsentibus, sed etiam à procul positis" liqvidè exaudiretur. Præterea ad con-" ciliandum sibi popularium benevolen-" tiam, in extrema actionum suarum par-" te mandati loco subnectere consveve-" rat, ut viri conjuges suas ac liberos, nec-" non & servos, cum primum domos re-" dissent, sub ejus titulo consalutationis" officio proseqverentur. Sciendum," quod supra memoratus Rex tres filios, de quibus mentio fit, procreaverit; quorum duos de thoro alieno, id est Haraldum & Ericum, qui cognominatus est Emune, post discessum suum super regni tutelám constituit. Kanutum vero, qui postea martyrizatus est, ex legitima sua, videlicet Botildâ Reginâ, natum, Skielmoni illustri viro reliqverit. Eodem igitur anno, quo defunctus est Ericus Egothe, Dani abjecerunt Haraldum propter

crudelitatem ejus, & Nicolaum fratrem Erici Egothe ſuper regnum regendum conſtituerunt. Nicolaus igitur genuit Magnum, de qvo inferius Deo annuente mentio fiet.

MCIII. Aſcerus Epiſcopus Lundenſis factus eſt Archiepiſcopus Daciæ primus. Hoc autem privilegium à Paſchali Papâ, procurante illuſtri Rege Danorum Erico Bono, acquiſitum eſt; Unde refert in Geſtis Danorum Saxo, cognomine Longus, miræ & urbanæ eloqventiæ clericus: ∂) Ne Dani ſub externo "pontifice ſacrorum munera celebra-"rent, miſſis ad curiam legatis, in orna-"mentum domeſticæ religionis maximi "ſacerdotii inſigne expetendum curavit. "Nec eum Romanæ promiſſionis fides "fefellit. Profectus igitur à curiâ lega-"tus Albericus, qui noſtræ gentis ſacer-"dotium adornaret, cum cunctas Dano-"rum urbes curioſè illuſtraſſet, Lundiæ, "ob egregios Aſceri mores, hunc hono-"rem deferendum exiſtimavit. Nec ſo-"lùm eam Saxonicâ ditione eruit, ſed eti-"am Sveciæ Norwegiæque religionis ti-"tulo magiſtram effecit.

MCXIII.

∂) *lib. XII. in vitâ Erici Boni.*

MCXIII. Hoc anno ſervus Chriſti Bernardus annos natus circiter XXII. Ciſtertium ingreſſus cum fratribus & ſociis ſuis amplius qvam XXX. qvos ipſe verbo vitæ Chriſto genuerat, ſvavi jugo Chriſti collum ſubmiſit. Qvantum autem profuerit dilectus Deo ordini Ciſtertienſi, imo univerſali eccleſiæ ſanctæ Dei, teſtatur Alexander Papa in Epiſtola, quam ad Prælatos Eccleſiæ ſcripſit. Ait enim: Sacroſanctam Romanam ec-" cleſiam, cui auctore Deo præſidemus," quondam ſub gravis perſecutionis tur-" bine laborantem, amicus Dei Bernar-" dus tam vitæ merito, quam datæ ſibi" cœlitus ſapientiæ ſtudio ſuſtentavit, ut" dignè qvidem & nobis & omnibus ejuſ-" dem eccleſiæ filiis in memoria haben-" dus ſit, & devotione perpetuâ veneran-" dus. Virtutes hujus glorioſi nárrat omnis Eccleſia Sanctorum. Nam qui id vel ex parte ſcire affectaverit, legat libros V. qui de vita & virtutibus ejusdem conſcripti ſunt. Longè tamen eminentius in ſuis ipſe libris apparet, & ex literis propriis innoteſcit; ita ut meritò illud Ambroſianum ipſi poſſit aptari: Laude ipſe ſe ſonet, & laureatus Spiritu ſcriptis" coro-

coronetur ſuis. Si qvis enim nôſſe deſiderat qvam ſolicitus ſui ipſius dijudicator & ſcrutator extiterit, librum Meditationum ipſius legat, & opus illius de Gradibus humilitatis. Si quæritur piæ mentis religioſa devotio, transeundum (ad eum) qvem ſcripſit de Laude virginis matris, & illum qvem de Diligendo Deo edidit librum. Si fervens contra ſuorum vel aliorum vitia zelus, legatur is, quem Apologeticum vocat. Si vigil in zelo, & circumſpecta diſcretio, de Præcepto & Diſpenſatione diſſerens audiatur. Quam vero fidelis cujuslibet piæ converſationis commendator fuerit & adjutor, Exhortatorius ad milites templi liber edocet. Qvam non ingratus gratiæ Dei, liber ejus de Libero Arbitrio & Gratia declarat. Quam liber voce, quam diſcretus, & in rerum ſuperiorum pariter inferiorumq; ſcientiâ locuples, in libris qvinqve, quos ad Papam Eugenium de Conſideratione ſcripſit, diligens conſiderator agnoſcet. Qvam devotiſſimus prædicator alienæ ſanctitatis, liber, quem de Vita Sancti Malachiæ Epiſcopi ſcripſit, oſtendit. In Sermonibus vero ſuper Cantica, indagator myſteriorum, & morum ædificator

tor magnificus innotescit; Similiter in sermonibus super: Qvi habitat. In Epistolis, qvas ad diversas personas ob negotia diversa dictavit, prudens lector advertet, qvo fervore spiritus justitiam omnem dilexerit, omnem æquè oderit injustitiam. Fidelis enim servus Christi non quærebat aliqvid suum; quicquid tamen erat Christi, sic curabat ut suum. Mœstus ab eo solatium, afflictus auxilium, consilium anxius, æger remedium, pauper subsidium reportabat. Qvo præsente omnis sanctitas exultabat, omnis erubescebat impietas, juxta illud: Videbunt recti & lætabuntur, & omnis ini-" qvitas oppilabit os suum. Qvis valeat" æstimare, qvantis in seculari habitu & conversatione manentibus, qvantis etiam virorum aut fæminarum congregationibus per hujus fidelis famuli ministerium dedit Deus pænitentiam & salutem. Aut qvis numeret eos, qvi sub ejus curâ in centum sexaginta monasteriis per Dei benignitatem ad pænitentiam sunt adducti. Nam ex his solis, qvi speciales ejus filii videbantur, præter eos qui jam cursum vitæ feliciter consummaverant, eadem die, qvâ felicissimus pater ex Clara val-

râ valle montem aſcendere meruit clariorem, reliqvit habitantes in eâ ſeptingentas ferme animas Domino ſervientes. Qvid igitur mirum, ſi gratus curiæ non acceptus Regi, ſi exceptus cum lætitia & exultatione credatur, in qvo gratia Dei uſqve adeo vacua non fuit; qvi talentum ſibi traditum tam copioſe multiplicavit, & tanta lucra retulit Domino ſuo. Conſummatis ergo feliciter vitæ ſuæ diebus, & annis circiter ſexaginta tribus expletis, dilectus Domini Bernardus Clarevallenſis cænobii primus abbas, aliorum qvoqve amplius quam centum ſexaginta monaſteriorum pater, XIII. Kal. Septembris inter filiorum manus obdormivit in Chriſto. Si quis autem ſcire deſiderat: Bernardus iſte Deo amabilis, Burgundiæ partibus Fontanis oppido patris ſui oriundus fuit. Pater ejus Teceſinus, vir antiqvæ & legitimæ militiæ fuit, cultor Dei & juſtitiæ tenax. Nam neminem concutiebat, nemini faciebat calumniam, contentus ſtipendiis ſuis, evangelica ſecundum inſtituta præcurſoris Domini. Mater ejus Aaleth Apoſtolicam ſimiliter regulam tenens, ſubdita viro, ſecundum timorem Domi-

ni

ni domum suam regebat, operibus misericordiæ insistens, filios enutriens in omni disciplinâ. Septem liberos genuit non tam viro suo quam Deo, sex mares, fæminam unam; mares omnes monachos futuros, fæminam Sanctimonialem. Epitaphium Sancti Bernardi Abbatis:

Claræ sunt valles, sed claris vallibus abbas
Clarior, his clarum nomen in orbe dedit.
Clarus avis, clarus meritis, & clarus honore,
Claruit eloquio, relligione magis.
Mors est clara, cinis clarus, clarumque sepulcrum,
Clarior exultat Spiritus ante Deum.

MCXXX. Sanctus Kanutus Dux Daciæ martyrizatus est in sylva Haraldstathæ à Magno filio Nicolai Regis. Cum enim Rex Ericus, cognomine Bonus, ad terram sanctam proficisceretur, Haraldum filium suum majorem natum super regnum constituit, Kanutum vero, quia tunc temporis parvus erat Skyalmoni Candido alendum commisit. Ut autem mors Erici Danis innotuit, Haraldum dejiciunt, & Nicolaum fratrem Regis Erici super regnum firmaverunt. Qvi ex Reginâ Margaretâ, nobili fæmina, fili-

filium nomine Magnum procreavit. Post paucos igitur annos, cum regina diem cerneret sibi ultimum imminere, Kanutum benignè alloqvitur, ut Magno filio suo benignus & favorabilis, ut jus consangvinitatis postulabat, existeret. Qui spospondit nihil sinistrum ei per se eveniendum, & qvod frater ei fidelis in omnibus existeret. Post paululum, mortuo Duce Elavo de Sleswic, Kanutus Ducatum à Rege petivit, & obtinuit: factus igitur Dux, Dei dispositione, Kanutus, posuit gladium supra femur suum, invasores regni dissipavit, & in brevi ab omni persecutione patriam suam liberavit; qvia manus Domini erat cum ipso. Et meritò: quia quanto sublimior, tanto humilior; qvanto potentior, tanto benignior omnibus apparuit. Hæc videbat Magnus filius Regis, & invidebat; Et excæcatus corde concepit dolorem, & peperit iniqvitatem. Nam Ducem apud Regem multis falsis criminibus, cum vera non potuit, accusabat. Posthæc cum Regem adversus eum movere non posset, assumtó secum Magnus quodam Henrico Skatelar, & aliis malignis, insidias ei ponens in sylva Haraldstathæ, mi-

misit Duci nuncium, qui eâ nocte apud Cæciliam sororem suam hospitabatur, fingens se secreti consilii gratia ei velle confabulari, mandans ut nullus puerorum ipsius interesset. Qvod cum audisset Cæcilia, monuit eum, ut omnino non crederet hujusmodi svasionibus. Dux igitur nullius conscius mali, nec erga consangvineum suspicionem habens, die proxima post Epiphaniam solus abire cæpit. Qvem cum pueri seqvi vellent, prohibuit eos. At cum illi dicerent turpe esse qvod Dux non solum sine pueris, sed etiam sine gladio incederet, ægrè gladium accepit. Lætus igitur & alacer conscientia bona, & fide non ficta, occurrit Magno, & verè in neqvitia maximo, & altero Cain. Qvem cum ille conspiceret, processit ei obviam, salutavit & osculabatur, sicut alter Judas Dominum, ducensqve Ducem de saltu ad remotiorem locum, frater, inqvit, eamus & sedeamus illic. Jam diutius scelus celari non potuit. Magnus Ducem interrogavit: Kanute, cujus est Dacia? Vir sanctus simpliciter respondit: frater, interrogatio talis unde venit, & qvò habet procedere? Dacia enim cujus est nisi patris

 tui?

tui? & erit qvamdiu placuerit Deo. Tunc Magnus: Non ſic, non ſic, omnes poſt te vadunt, tu tollis à nobis locum & gentem, & hoc inter nos modò melius dividi poteſt. His dictis Dux armatos aſpexit, & ait: Frater, ſcit qvi omnia novit me tibi aut tuis verbo vel opere nunqvam obfuiſſe; Et qvid feci? Judicet inter nos qui reddet unicuiq; ſecundum opera ſua. In hoc ſanctus ſurgere voluit; ſed traditor eum indignè per capæ capitium retrahens, extracto gladio ab aure ſiniſtra in dextrum oculum caput findit, & martyris cerebrum impiè denudavit. Accurrens igitur Henricus Scatelar, corpus innocentis lanceâ transfodit. Deinde cæteri ſceleris comites ad latera Ducis lanceas fixerunt, & ſic glorioſo martyrio jura carnis juſtus perſolvit. Paſſus eſt autem Dux Daciæ Kanutus, Regis Erici Boni filius, VII. Idus Januarii, feria IIII. cujus mortem pretioſam in conſpectu Dei crebra teſtantur miracula, ad laudem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum amen. Sciendum autem, quod licet omnis ætas & ſexus virorum ac mulierum ſuper morte dilecti Dei Kanuti

nuti doleret, præcipuè tamen frater ejus Ericus videlicet Emunæ sibi erat vir strenuus, & prælia sæpius contra hostes regni cum fratre suo commiserat. Inde accidit, ut Regem bellis sæpius fatigaret, adjutorium ei præbentibus omnibus qui extiterant amici Ducis memorati. Et licet sæpius fugisset Ericus à facie Regis, tandem Deo vindicante sangvinem martyris sui, Ericus victoriâ potitus Magnum interfecit, & Nicolaum à regno depulit. Qvi cum venisset prope Hethæby, dissvaserunt ei comites & pueri sui, ne introiret illuc. Dicebant enim qvod burgenses districtissimam legem tenent in convivio suo, qvod appellatur *Hezlagh*, nec sinunt inultum esse, qvicunqve alicui convivarum illorum damnum sive mortem intulerit; & Dux Kanutus, dum adviveret, senior erat convivii illius & defensor. Sprevit hujusmodi admonitionem Rex & dixit: Numqvid timendum est nobis à pelliparijs & sutoribus istis? Mox itaqve cum villam esset ingressus, clauserunt portas civitatis, & repentè campana convivii clarius insonuit. Concurrentes autem burgenses rapuerunt Regem, & cum omnibus, qui

eum defendere nitebantur, morti tradiderunt, & sic vindicatus est sangvis justus de manu impiorum. Quæ hic sub compendio dicta sunt, latius infra patebunt.

MCXXXI. Bellum fuit jaling inter Nicolaum Regem & Ericum Emunæ, & fugit Ericus.

MCXXXII. Item aliud bellum inter eosdem in Syræ insula, & similiter fugit Ericus.

MCXXXIII. Fractum est castrum Haraldi Kæsiæ Roskildis, qvi fuit frater Erici Emunæ.

MCXXXIIII. Roskildis depopulata est, Haraldo Kæsiæ cædem & mutilationem faciente.

MCXXXV. Bellum fuit Fotævig Scaniæ inter Nicolaum Regem & Ericum Emunæ, & facta est plaga magna in exercitu Nicolai, & Magnus filius ejus, & qvatuor Episcopi de Jutia, & Petrus Episcopus Syalandiæ, & Henricus Sveciæ peremti sunt, & Nicolaus Rex fugit & interfectus est.

MCXXXVIII. Mortuus est Ascerus Archiepiscopus. Electus est Eskillus Episcopus.

MCXXXIX. Ericus Emunæ interfectus

fectus est à Plogone Nigro, cui successit nepos ejus, videlicet Ericus Lamb.

MCXLII. Bellum fuit inter Ericum Lamb & Olavum filium Haraldi duodecies in anno uno, & semper fugit Olavus.

MCXLIII. Olavus filius Haraldi interfectus est. Eodem anno claustrum Alvastrum in Svecia fundatum est. De eo ita legitur in libro de Exordio Cisterciensis Ordinis: ε) Volens Sanctus Bernardus in populis aqvilonarium partium sicut & in cæteris gentibus aliqvem fructum habere, petente religiosâ feminâ Reginâ Sveciæ, conventum fratrum ad partes illas direxit. Cumqve monachi & conversi, qui ad hoc denominati fuerant, ut hominibus rudibus & indomitis formam religionis & disciplinæ traderent, nimio mœrore consternati, precibus qvibus valebant agerent, ne tanti patris præsentiâ cărituri ad exteras & barbaras mitterentur regiones, sanctus Abbas respondit: Qvid est hoc dilectissimi fratres qvod facitis? Ut quid irrationabilibus fletibus & precibus affligitis animam meam? aut numquid voluntatem meam, & non potius voluntatem Dei, cui omnes ob-tem-

ε) *Distinctione IV. Cap. 28.*

"temperare debemus, seqvor in hoc ne-
"gotio? Erant autem posita coram eo
"vestimenta & vasa sacra, cæteraque u-
"tensilia, ad ministerium divini officii
"pertinentia, quæ iidem fratres, qvi mit-
"tendi erant, secum ferre debebant. Vo-
"lens itaque certos eos reddere, qvoniam
"à Domino egressus esset sermo, eleva-
"vit pelvim, quæ ad recipiendam aquam,
"sacerdotis manibus fundendam, depu-
"tata erat; & digitum fundo ejus impri-
"mens dixit: Ecce hoc vobis erit signũ,
"qvod spiritus Domini miserit vos. Mi-
"rum verò in modum rigor & inflexi-
"bilitas æris teneritudini digiti cessisse
"visa est, adeo ut cujus quantitatis sacer
"articulus fuit, usqve hodie liqvido valet
"dinosci. Quantum autem intus ces-
"sisse, tantum foris æqvalitatem excessis-
"se videtur. In testimonium tanti mira-
"culi, eadem pelvis in secretario domus,
"quam tunc pater sanctus ordinavit,
"summa cum reverentia servatur. Por-
"rò prædicti fratres videntes perspicu-
"am divinæ gratiæ præsentiam adesse,
"stimulos edacis tristitiæ reprimentes
"gavisi sunt, & licet remotissimas, & in
"ultimo climate aqvilonaris brumæ ab-
stru-

ſtruſas nationes non ſine qvodã horro-"
re ſpiritus adire poſſent, tamen eandem"
gratiam Dei, meritis & precibus ſancti"
patris ſui intervenientibus, ſe comita-"
turam præſumebant. Erat verò inter"
cæteros adoleſcens quidam bonæ indo-"
lis & columbinæ ſimplicitatis, Gerar-"
dus nomine, qvi impatientius aliis do-"
lens cum lacrymis dixit ad virum Dei:"
Beatiſſime pater, Ego miſerabilis ju-"
venculus relicta domo paterna ſpretis-"
que omnibus, quæ mihi in hoc ſeculo"
deſiderabilia & amabilia eſſe poterant,"
religionis amore paternitatem tuam a-"
dii, ſperans me tua dulciſſima præſentia"
frui debere, & tuis exemplis informari,"
qvodqve votis omnibus exopto, inter"
ſacra corpora fratrum noſtrorum, in"
hoc cœmiterio quieſcentium, diem ex-"
pectare noviſſimum. Et ecce, ejicis"
me hodie à facie tua, & deſiderata mihi"
ſepultura privabor. Compaſſus ado-"
leſcenti beatus vir, & qvæ poſt annos"
quinqvaginta futura erant, ſpiritu pro-"
phetico prævidens & prædicens, ait ad"
eum: Vade fili cariſſime, vade qvò te"
Spiritus Sanctus mittere dignatur, & in"
agro Dominico tanqvam ſtrenuus ope-"

"rator labora. Ego tibi in nomine Do-
"mini polliceor, & securum te facio, qvia
"sicut desideras in Clara valle morieris,
"& cœlestis sponsi gloriosum adventum
"una nobiscum præstolaberis. Hanc
"sponsionem hilaris & gaudens juvenis
"suscipiens, sciens utiqve nec falli posse
"nec fallere velle hominem, qvem sapi-
"entiæ & veritatis secretarium esse ma-
"nifesta signorum & prodigiorum de-
"clarabant indicia. Ivit itaqve & in do-
"mo, quã cum cæteris fratribus initiare
"mittebatur, Prioris & Cellerarii admi-
"nistrationes strenuè percurrens, divinã
"largiente gratiã nomen pariter & offi-
"cium Abbatis sortitus est. Cujus digni-
"tatis apicem licet invitus conscenderet,
"malens in humili loco salvari, qvam in
"sublimi periclitari, susceptum tamen
"religiosissimæ conversationis nitore
"decoravit. Cumqve ad decrepitam
"ætatem pervenisset, qvadragesimum
"in prælatione complens annum, variis
"qvoqve infirmitatibus quateretur, dixit
"ad fratres: Oportet me in Clara valle
"mori. Contradicentibus fratribus,
"qvod propter veteranæ senectutis in-
"commoda vivus illuc duci non posset,
cum

cum multa fiducia respondit: Verbum validum & forte prosperos in hoc itinere successus præstabit. Gestatorio itaque impositus, cunctis mirantibus, ad Claram vallem vivus delatus est; ubi sicut optavit, desideratam sepulturam adeptus est.

MCXLIIII. Fundatum est claustrum Heruadum in Scaniâ, filia Cistertii XVI^a.

M.CXLVII. Obiit Rex Ericus Lamb, cui successerunt in regno Suen filius Erici Emunæ, & Kanutus filius Magni, & Waldemarus filius sancti Kanuti. Eodem anno Suen & Kanutus pugnaverunt Slangæthorp.

MCXLVIII. Sanctus Malachias Hyberniensium Archiepiscopus migravit ad Dominum. Iste Malachias cum ad curiam Romanam propter negotia Ecclesiæ suæ per Claram vallem transisset; à Sancto Bernardo mirâ devotione susceptus est. Rediens autem à curia, monachos de Collegio Sancti Bernardi obtinuit, quos duxit in Hyberniam, & cœnobia Cistertiensium devotus antistes ædificavit. Post aliqvantos annos præmonitus à Spiritu Sancto venit iteratò ad Claram vallem, & ibidem pretiosam ani-

animam in manus Domini commendavit, præſente Sancto Bernardo & multitudine monachorum copioſâ. Hujus etiam exeqvias, & pro eo, more ſolito, miſſam in conventu Abbas Sanctus celebravit; & cum ad ultimam Collectam, qvæ pro defunctis dici ſolet, perveniſſet, mutato ordine hanc Collectam incepit: " Deus qvi beatum Malachiam pontifi-"cem Sanctorum tuorum meritis coæ-"qvaſti, concede propitius, ut qui pre-"tioſæ mortis ejus feſta agimus, vitæ "qvoqve imitemur exempla. Per. Deinde reverenter accedens, ſacra ejus veſtigia devotiſſimè oſculabatur. Modum tamen aut ſeriem viſionis nec cuiqvam aperire, nec in vitâ ejusdem Epiſcopi ſcribere acqvievit, hoc enim reſpondens, cum plurimum rogaretur, nimis ad propriam ſui ipſius pertinuiſſe perſonam. Scripſit de eodem Præſule librum Sanctus Bernardus, miraculis & virtutibus plenum.

MCXLIX. Captus eſt Eskillus Archiepiſcopus à Svenone Rege Scaniæ; qvi timens excommunicationem ſolvit eum, & dedit ei dimidiam Borundholm.

MCL. Bellum fuit Thorſtenthorp inter

Suen & Kanutum, & fugit Kanutus.

MCLI, Bellum fuit Wibergis, & iterum fugit Kanutus.

MCLII. Exulavit Kanutus in Sveciam & Rusciam.

MCLIII. Hoc año Sanctus Bernardus, primus Abbas Claræ vallis & Doctor eximius migravit à seculo. Multa per hunc famulum suum miracula mundo Christus Deus noster ostendere dignatus est. Nec post beati Martini Turonensis Episcopi tempora quisqvam sanctorum, in carne mortali degens, facilè reperitur, qui tanta remedia infirmantibus & afflictis contulerit. Nam ut pauca proferam, per qvæ etiam non audita intelligantur. Cum regnum Germaniæ Sanctus Dei Bernardus introisset, tam excellenter enituit in gratiâ sanitatum, ut vix credi valeat si dicatur. Nam testificati sunt qvi adfuere, & oculis suis viderunt in territorio Constantiensi unâ die illuminatos ad ejus impositionem manus cæcos XI. sanatos etiam mancos X. claudos erectos XVIII. Ad ejusdem viri sancti orationem & manus impositionem per triduum, qvod in Colonia fecit, XII. claudos erectos, mancos duos sana-

ſanatos, V. cæcos illuminatos, loqvelam redditam mutis tribus & X. ſurdis auditum. Hæc & his ſimilia in libro qvarto de miraculis ejus ſancti reperiuntur abundanter.

MCLIIII. Deſponſavit Waldemarus Sophiam ſororem Kanuti.

MCLV. Facta eſt pax inter Svenonem Regem, Kanutum & Waldemarum, ita ut qvilibet eorum parte ſuâ de regno contentus eſſe deberet.

MCLVI. Kanutus Rex à Svenone Roskildis occiditur; & Waldemarus vulneratus fugit in Jutiam, adjuvante eum Esberno Snaræ.

MCLVII. Suên Rex interfectus eſt in Grathæ, & Waldemarus obtinuit monarchiam.

MCLVIII. Abſalon factus eſt Epiſcopus Roskildenſis. Clauſtrum Vitæ Scolâ fundatur in Jutiâ.

MCLXI. Hoc anno conventus monachorum Ciſtertienſium venit in Soram; & Tuta vallis in Jutia fundata eſt.

MCLXIII. Waldemarus adivit Imperatorem; & natus eſt Rex Kanutus filius ejusdem Waldemari.

MCLXV. Clauſtrum öm in Jutiâ fun-

fundatum eſt XIIII. Kal. Martii.

MCLXVII. Burifius captus eſt à Rege Waldemaro.

MCLXX. Translatus eſt Sanctus Kanutus Ringſtadis à Waldemaro Primo, per miniſterium venerabilis Abſalonis Epiſcopi, cujus id exſeqvendi officium erat, adſtantibus turbis religioſorum, clericorum ac laicorum, & matronarum devotiſſimarum, clamantium & dicentium: Benedictus Dominus Jeſus Chriſtus, qui Sanctum Kanutum Syalandiæ præfecit patronum. Et ſicut legitur in "Geſtis Danorum. ζ) Patris ejus, id "eſt Waldemari Primi oſſa aræ tra-"duntur, & filius VII. annos natus, "id eſt Kanutus filius ejusdem Walde-"mari, regiâ in ſellâ purpurâ venuſtatur. Eodem enim die qvo filium diademate, parentem altario honoravit, id eſt VII. Kal. Julii. Eodem etiam anno Rö in Sclavia à Danis eſt victa, & ad fidem Chriſti converſa; & Waldemarus ejusdem Kanuti frater, pater videlicet Regis Erici, & Chriſtofori & Abel natus eſt.

MCLXXI. Paſſio Sancti Thomæ Cantuarienſis, Archiepiſcopi Angliæ. Qvia hujus ſanctiſſimi antiſtitis ſecun-

ζ) *Vide Saxon, lib. XIV. Sect. 4.*

dum

dum ordinem passionem explicare non sufficimus, tangatur parum de miraculis, ut perpendi poterit à fidelibus in terris, quanta gloria & honore Dominus martyrem suum coronaverit in cælis. Eâdem septimanâ qvâ martyr ad octavam transivit, monacho cuidam in cænobio Sewensi frater, multis ante diebus defunctus, apparuit. At ille mortuum esse recolens quem videbat, inter alia multa, quæ ab eo interrogavit, etiã de Domini Cantuariensis statu nuper interfecti diligentius inqvisivit. In cujus laudem & gloriam qui adstabat plura differens, ut multa breviter dicantur, in hoc sermone clausit qvod à beata virgine Maria, sanctisqve Apostolis, nec non & qvibusdam martyrum & confessorum, virginumqve ante thronum grandem aureum sit præsentatus, habentem valvas duas, qvæ claudebantur & aperiebantur. Exisse autem de throno speciosum formâ præ filiis hominum, de cujus aspectu fidelium animæ lætificantur & vivunt, & beatum Thomam amplexatum fuisse, & osculo ei porrecto, benedictionem suam illi contulisse. Assumtum vero postea martyrem à Sanctis, & cum Apostolis

lis reverentiſſimè collocatum. Hanc viſionem confirmabat alius quidam raptus in ſpiritu. Nam rediens in ſe ipſum narrabat adſtantibus, præſulis ſancti ſeſſionem eſſe cum Apoſtolis; & ſtatim communicans ab hac luce migravit. Qvod vero introductus ſit in potentias domini, teſtantur miracula à ſeculo inaudita. Qvod ut palam ignorantibus fiat, ſuccinctè narrandum eſt: Plebejus qvidam in territorio Bedefordenſi, Eilwardus nomine, pro modicâ re, qvam in domo cujusdam vicini ſui deprædatus eſt, capitur & colligatur; traditur præconi villæ, trahitur in Bedefordiam, in cuſtodiâ publica tenetur. Qui accito presbytero, utpote periculis extremis expoſitus, ad mortem, imo ad vitam, ſe præparat, omnia conſcientiæ ſuæ ſecreta evolvens; qvicqvid ſaluti contrarium invenit, in tutis presbyteri auribus effundit; qvi ei commemoravit, ut ad ſuffragia Sancti Thomæ martyris confugeret. Inſuper dedit ei flagellum, injungens ut qvinqvies ſingulis diebus, anteqvam guſtaſſet, ſibi ipſi tortor exiſteret, & ne ceſſaret genua flectere & martyrem invocare. Poſt qvatuor ſeptimanas educitur miſer de car-

carcere, ad concilium trahitur, ad supplicium condemnatur. Tractus itaqve à carnificibus ad locum supplicii, orbatur oculis, genitalibus mutilatur; & oculum qvidem sinistrum statim integrum evertunt, dexter autem in frusta conscissus effosus est. Membra, qvibus eum mutilaverant, sub cespite absconderunt, & relicto semivivo abierunt. Secuta est afflictum sola filia duodennis, qvæ incarcerato alimoniam vindicaverat. Paulatim fluxu cruoris restricto, ductu puellæ in villam Bedefordiam rediit. Misertus autem ejus qvidam Eilbrictus, excepit illum in domum suam. Fecit igitur ibi in tenebris dies X. vigiliis & orationibus intentus. Nocte vero diei decimi, prima noctis vigiliâ, in somnum resoluto apparuit qvem vocaverat, nivei candoris vestibus indutus, baculoqve pastorali signum crucis in fronte ejus & oculorum foraminibus depingens, sub silentio discedere visus est. Expergefactus ille & visionis negligens rursus obdormivit. Iterum ante lucem rediit in albis, dixitqve: Homo bone, dormis? Vigila, insiste orationi, & spem tuam in Deo & beatâ virgine Maria pone, & in sancto Thomâ,

ma, qvi te venit visitare. Et si nocte proxima in Ecclesia beatæ Virginis excubaveris ante altare ejusdem virginis, & in fide non hæsitaveris, oculorum restitutione gaudebis. Qvid multa. Fecit ut præmonitus fuit, lumen recepit, crescit stupor populo, & probaturi unde procedat vis videndi, ab oculis videlicet novis, an ab evacuatis foraminibus absqve pupilla, deprehendunt pupillas duas profundius in capite latitantes, pupillis avis parvæ vix qvantitati coæqvas, quæ etiam incessanter crescentes, omnibus intuentibus, ineffabilem incredibilemqve stuporem, lentâ sui augmentatione continuabant. Attollitur igitur ad cælum clamor populi; laudes Deo debitæ persolvuntur. Mane autem turba totius villæ in unum conglobata, diligentius clarâ luce intuentes, alterum oculum varium, alterum prorsus nigrum advertunt, cum natales ambos varios habuerit. Vir autem non orbatus jam lumine, sed ornatus, sicut per medium villæ cum ignominia fuit tractus ad pœnam, ita & eâdem via cum gloria, populiqve favore, reducitur ad Sancti Pauli Apostoli ecclesiam, in qva etiam noctem

C Do-

Dominicam duxit insomnem. Inde discedens ad salutis suæ auctorem Thomam iter arripuit. Qvasi qvatuor passuum millia confecerat, cum etiã membra inferiora sibi restituta comperit. Hæc de prolixa narratione ad laudem Dei & beatæ virginis Mariæ, & Sancti Thomæ martyris, compendiosè excerpta sunt. Et ut breviter omnia concludantur, meritis hujus sancti cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, mortui, etiam biduani, resurgunt, loqvuntur muti, pauperes evangelizantur, paralytici convalescunt, detumescunt hydropici, sensui redonantur amentes, & omnia penè miracula evangelica multipliciter, ejus meritis completa sunt. In curatione autem leprosorum cui servorum Dei martyrem Cantuariensem penè assimilare poterimus? Si modernos objicias, nihil tale reperies. Si ad antiqvos recurritur, etsi non similitudo, similis tamen copia denegatur. Lepram curavit Moyses, sed Mariæ solius, Numeri XII. ubi ait: Deus obsecro sana eam. Multi fuerunt leprosi in diebus Helisæi, sed nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus, IIII. Reg. V. Nec tempore gratiæ quem-

qvemqvam Dei servum facile reperimus, cujus meritis tot leprosi fuerint vel emundati, vel emendati. Curavit leprosos Christus Jesus Dominus noster, Luc. XVII. ubi ait: Ite, ostendite vos" sacerdotibus, & factum est dum irent" mundati sunt. Et seqvitur: Nonne X" mundati sunt, & novem ubi sunt, non" est inventus qvi rediret, & daret glo-" riam Deo nisi hic alienigena &c. Sed" qvid mirum si conditor naturæ, & creator creaturarum Deus leprosos sanat, cùm nulli dubium sit qvia omnia qvæcunqve voluit Dominus in cælo & in terra in mari & in omnibus a. Curaverunt leprosos Apostoli, sed numerus eorum non est descriptus, nec expressè de his aliqva, ut puto, tractat historia, cùm tamen ex Actibus Apostolorum advertere possumus qvod multi, variis infirmitatibus occupati, per Apostolos sunt pristinæ redditi sanitati. Unde Act. V. Augebatur credentium in Domino multitu" do ita ut in plateas ejicerent infirmos," & ponerent in lectulis & in grabatis, ut" venite Petro saltem umbra illius obum-" braret qvemqvam eorum, & liberaren-" tur ab infirmitatibus suis. Sanctus etiam

am Apoſtolus Thomas petiit Regem Gundoforum, ut per menſem unum congregaret pauperes & infirmos per totum regnum ſuum. Completis igitur XXX. diebus, venit multitudo cum infirmis, & variis ægritudinibus laborantibus. Omnes autem infirmos in unum congregari præcipiens Apoſtolus, ipſe in medio eorum ſtans, expanſis manibus orationem fudit ad Dominum. Completa autem oratione venit (fulgor) coruſcus ſuper eos, ut omnes ſe putaſſent ictu fulgoris interiſſe. At illi omnes ſurgentes ſani glorificaverunt Deum & Thomam Apoſtolum ejus. Legitur ibidem qvod curavit leproſum, cujus tota compago membrorum ſub uno cortice, vulneribus plena, putores exhalabat. Quem cum Apoſtolus aſpexiſſet, flevit & flexis genibus diutiſſimè oravit. Completâ oratione apparuit qvidam puer fulgido aſpectu, qvi tollens eum in partẽ anguli ſecreti, exuit eum veſtimentis ſuis, & exſpoliavit eum corio, qvaſi tunica corporali, & revocavit eum ad Apoſtolum, Apoſtolus autem baptizavit eum, & ſignans eum ſigno crucis, ſanum abire permiſit. Curavit Imperatorem Conſtantinum

tinum à lepra elephantina ſanctiſſimus Papa Sylveſter; & ab illa die & deinceps, cooperante gratia Chriſti, à jugo infidelium & idololatrarum Chriſtianitas liberata ſumſit incrementum. In libro primo de vitâ Sancti Martini ita legitur: Apud Pariſius, dum portam civitatis, " magnis ſecum turbis euntibus, introi- " ret Beatus Martinus, leproſum mirabili " facie, horrentibus cunctis, oſculatus eſt " atque benedixit, ſtatimqve omni malo " emundatus, poſtero die ad eccleſiam " veniens nitenti cute, gratias pro ſanita- " te, qvam ceperat, agebat. Unde Bea- " tus Ambroſius in Hymno:

Pacem leproſo dans viro,
ſordes fugavit ulcerum;
Et qvod ſanaret morbidos,
Jordanis eſt in oſculo.

Curavit leproſum Sanctus Epiſcopus Blaſius, qvi propter merita & ſanctiſſimam vitã ſuam Blaſius Magnus appellatus eſt. Curaverunt & alii ſancti leproſos, ſed rarò tamen inter miracula eorum hujusmodi curatio legitur aut reperitur. Curavit igitur Sanctus Thomas leproſos V. & amplius, ut patet legenti libros miraculorum ejus. Cura-

 vit

vit insuper qvendam Radulphum, qvi à Pentecoste usqve ad adventum Domini speciosus & absqve macula mansit, domumqve reversus occulto Dei judicio adeo leprosus apparuit, qvod nunquam extiterit contagio lepræ sordidior. Causam deteriorationis ille novit, qvi ei "quem sanaverat dixit: Ecce sanus fa"ctus es; jam noli peccare, ne deterius "tibi aliqvid contingat,

Epitaphium Sancti Thomæ:

Rex, miles, præsul, edictis, ense, cruore,
Impugnat, violat, protegit Ecclesiam,
Rex ira, miles gladio, præsul prece pugnant,
Pro populo præsul, pro grege pastor obit.
Pax patriæ, Dux justitiæ, jurisque patronus,
Præsul in eccelsia militis ense cadit.
Rex dictat, miles peragit, templum violatur.
Heu scelus, ense Dei sanctus sic martyrizatur.
Anglia cœlesti qvondam præfulgida dono
Heu modo strata jacet, tali viduata patrono.
Rex miles gladium vibrant, sed nil tremefactus
Cum cruce pergit ovans hic præsul & hostia factus.

Nor-

Norma, decus, ſpeculum, cleri, gentis, monachorum,
Gemma ſacerdotum fit concivis ſuperorū.
Ergo pater Sancte noſtri petimus miſerere,
Et tibi ſubjectum populum Rex Chriſte tuere.

MCLXXIII. Terræ motus factus eſt per Daciam univerſam. Obiit Chriſtophorus Dux Jutiæ.

MCLXXVI. Martyrizata eſt Sancta Margareta in ölſyæ, à viro ſuo Herlogh, V. Kal. Novembris.

MCLXXVII. Eskillus Archiepiſcopus diſceſſit. Cauſa diſceſſionis ejus in Geſtis Danorum *n*) ſic innuitur: Eskillus domeſticis ſupra vires negotiis fatigatus, dum quieti intentius conſulit, proficiſcendi licentia à rege difficulter extorta, nobile Galliarum Cænobium, qvod Clara vallis nuncupatur, petivit, ibiqve privati more tranqvillam vitam degens, aſperum patriæ convictum voluntariæ peregrinationis lenitate mutavit, jucundiorem rerum uſum apud exteros qvam inter cives habiturus. Sed cur magis ad Claram vallem, ut dictum eſt, qvam ad aliud tranſierit Cæno-

n) *Vide Saxonem lib. XIV. circa mediam Sect. 5.*

bium, diligens lector ex his quæ in libro de Exordio Cistertiensis Ordinis referuntur perspicuè perpendere potest. Ibi enim 9) legitur, qvod cum adolescentulus esset, transmissus est à parentibus ad studium Hildensem. Et cum ibi ali- "qvamdiu moratus fuisset, contigit ut in "gravissimam invaletudinem inciderit, "& tandem à Medicis desperatus est; ide- "oqve procuratum, ut oleo sancto inun- "geretur. Cumqve presbyteri & cæte- "ri fideles hujus rei gratia lectulo ejus as- "sisterent, subito omnium membrorum "& sensuum officio destitutus, ita ut ferè "mortuus putaretur, ductus est in spiri- "tu ad qvandam mansionem totam "interius qvasi clibanum ardentem, ad "quam cum propius accederet, & ignem "æternum sibi superesse cogitaret; Ec- "ce miserante Deo apparuit ei meatus "qvidam, qvasi tramitis, qvi etiam qvasi "flammis vacuus videbatur. Qvi conatu qvo potuit reptans, ad locum refri- "gerii pervenit, & per illum ad ostium "tendens celerius tremens exiit. Mox "palatium qvoddam reperiens, & illuc "ingrediens, vidit in eo Reginam cœlo- "rum in throno gloriæ sedentem, ad

9) *Distinctione III. Cap. 25.*

qvam

qvam pavidus & anhelus accedens, ro-“ gat obnixè ut sui misereretur. Qvem“ illa dedignanter aspiciens, atqve mina-“ citer alloqvens, qvod ausus fuisset in“ conspectu ejus apparere, mandat qvan-“ tocius egredi & cruciandum ad ignem“ reverti. Porro præfatus adolescentu-“ lus venerabiles viros, qui assistebant“ Dominæ nostræ, intuens, lacrymabili-“ ter deprecabatur, ut piissimæ Dominæ“ pro ipso supplicare dignarentur. Qvod“ cum devotè facerent, illa benignissima“ dissimulatrix respondit: Qvid rogare“ præsumitis pro vanissimo adolescente“ isto, & meo respectu indigno? Hic e-“ nim perversus & lubricus nunqvam“ me honoravit, nunqvam salutationem“ meam mihi repræsentavit. Cumqve“ illi rogarent, ut delicta juventutis illius“ dimitteret, si de cætero se emendaturum“ promitteret, accessit interim treme-“ bundus adolescens, obsecrans eam & di-“ cens: Miserere mei Domina, qvia pa-“ ratus sum amodò & usqve in sempiter-“ num servire tibi. Qvod si genitor me-“ us istam calamitatem meam agnosce-“ ret, maxima auri pondera pro mea libe-“ ratione impenderet. Talia cum la-“

"crymabili voce depromeret, mater "misericordiæ serena facie respiciens il"lum dixit; Qvid igitur? Putasne qvia "valeas teipsum apud me condigno pre"tio redimere? In hoc enim forsitan me "placare posses, si congruum pretium "pro tua redemtione mihi persolveres. "Tunc ille non modicè exhilaratus, fidu"cialius accessit & dixit: Etiam atqve e"tiam clementissima, ego me optimè re"dimam, tantummodo esto mihi propi"tia, ne me in illum ignem cruciandum "amplius remittas. Cui Regina virgi"num respondit: Volo igitur, ut de qvin"que generibus annonæ quinqve mihi "modios, hoc est singulis singulos, non "negligas reddere. Qvo ille audito læ"tanter & alacriter respondit: Carum "mihi est, ò carissima Domina, qvod im"ponis, valdeqve jucundum, & ego men"suram bonam & confertam & coagita"tam & supereffluentem dabo in horre"um tuum. Qvod cum in fide sua pro"misisset, datis etiam in fidejussores in"tercessoribus supradictis, dimissus est "tandem liber ad humana reverti. Con"festimque redditus sibi, & aperiens ocu"los, receptoqve usu loqvendi, surrexit & se-

& ſedit in lecto ſuo: moxqve in jubilum“
erumpens cœpit clamare cum gaudio: “
Benedictus Deus, ego liberatus ſum, & “
amplius non ardebo; Gratias tibi ago “
Sancta Dei Genitrix, qvia liberaſti me “
de incendio iſto; & amplius non arde- “
bo. Videntes ergo cuncti qvi aderant “
juvenem de morte revocatum mirati “
ſunt. Ipſe vero per multum temporis “
ſpatium nihil aliud dicere potuit, niſi “
tantum: Deo gratias, ego non ardebo, “
ego non ardebo. Converſus tandem, “
quæ viderat per ordinem indicavit. U- “
nus autem ex eis, vir bonus & eruditus, “
hæſitantem de viſione adoleſcentem “
ſecretius inſtruit dicens: Scito præno- “
ſcens futurum te eſſe magni nominis “
virum, & gradum maximæ dignitatis “
in eccleſia ſortiturum. Quem cum fa- “
vente Deo adeptus fueris, oportet te in “
honorem Dei & Sanctæ Virginis ma- “
tris diverſorum ordinum cœnobia “
qvinqve de tuo conſtruere. His ille “
auditis interim tacuit, ſed qvem res exi- “
tum habitura foret, ſemper ſollicitus fu- “
it. Proceſſu vero temporis, cum præ- “
fatus adoleſcens, ætate pariter & ſapi- “
entia creſcens, jam in virum optimum “

pro-

"profeciſſet, ordinante Deo ad regimen
"Lundenſis Eccleſiæ, quæ Daciæ me-
"tropolis habetur, aſſumtus eſt. Qvi il-
"licò reddendi voti ſui tempus adeſſe co-
"gnovit. Nactus igitur oportunitatem
"de remotis Galliarum partibus, ubi fon-
"tem religionis eſſe cognoverat, non ſo-
"lum V. ſed etiam plures ſpiritalis pro-
"feſſionis conventus evocare curavit.
"Inter qvos etiam Ciſtertienſis ordinis
"duos, unum de domo Ciſtertii, alte-
"rum de Clarâ valle, in optimis terræ
"ſuæ locis, tanqvàm vites fructiferas, vi-
"num juſtitiæ germinantes, paſtinavit.
"Et ut perfectè ſemetipſum redimeret,
"menſuramqve bonam & ſupereffluen-
"tem liberatrici ſuæ, ſicut promiſerat,
"perſolveret, qvinqve cœnobiorum fun-
"datione contentus eſſe noluit; ſed alia
"atqve alia, tàm de ſuo, qvàm de aliorum
"fidelium dono, ſtuduit ædificare. San-
"ctum qvoqve Bernardum, reverendiſ-
"ſimum Claræ vallis Abbatem, licet lon-
"gius à ſe remotum, nimio venerabatur
"affectu. Nec contentus eſt in filiis eum
"videre, cum novum cœnobium eun-
"dem exſtruxiſſet. Venit igitur Cla-
"ram Vallem, quem à finibus terræ, non
curi-

curiositas audiendæ sapientiæ, sed fidei"
zelus & plenitudo devotionis attraxe-"
rat. Ubi qvantum fleverit, qvalem se-"
se, non modo erga eum, qvem tàm u-"
nicè suspiciebat, sed etiam erga mini-"
mos qvoslibet fratrum exhibuerit, non"
est facile dictu. Demum ad suos per"
terræ marisqve spatia periculosa rediit."
Nec multo post hæc elapso tempore,"
tristissimus rumor aures ejus perculit"
de dormitione beati viri, specialis amici"
sui. Itaqve commendans ecclesiam"
principibus terræ, relictis parentibus &"
propinqvis, ipsoqve patrio cespiti vale-"
dicens, exul egregius Claram vallem"
venit, sepulcrum beati viri visitavit, u-"
bi etiam mori delegit. Ubi etiam sa-"
cræ religionis habitum Deo donante"
postmodum suscepit, devotioni sacræ"
orationis cotidiè, imò penè continue,"
sollicitius invigilans, pro peccatis suis"
præteritis myrrham cordis contriti &"
spiritus humiliati Deo offerens, & gra-"
tiam supernæ benedictionis thymiama-"
te piæ compunctionis enixius implo-"
rans. Processu vero temporis in opti-
mâ conversatione vitam consummans,
sepultus est in presbyterio oratorii ejus-
dem

dem loci, ante altare Beatæ virginis matris, cujus ex hoc memoria in benedictione erit Clarevallensibus á generatione in generationem, Amen.

MCLXXVIII. Dominus Absalon Episcopus Roskildensis factus est Metropolitanus Lundensis.

MCLXXX. Dissensio facta est inter Archiepiscopum & Scanienses. Causa hujus dissensionis fertur ita contigisse. Archiepiscopus Absalon super possessiones Archiepiscopales & exactiones, nobiliores Syalandenses constituit, scilicet Esbernum Snaræ, qvi germanus erat Archiepiscopi, & Dominnm Sunonem, qvi filius erat Ebbonis patrui sui; Item Saxonem Thorberni filium, cum aliis sibi familiaribus. Qvam rem & qvod factum Scanienses ægrè tulerunt. Modico post evoluto tempore, prædicti Archiepiscopi procuratores orientalibus indixerunt Scaniensibus, ut arbores integras & ligna, quæ incidi fecerant in sylvis, ubi jumentorum aditus minimè haberi potuit, ad locum traherent præsignatum. Scanienses igitur in tantum se humiliari non sustinentes, vehementer indignati sunt. Facto igitur concur-

su

ſu,in bona irruunt Archiepiſcopi, domos grangiarum frangunt, res qvas habere poterant ſecum auferunt, Archiepiſcopum ut neci traderent ſe ſperantes inventuros. Quæ res cum ei innotuit, mox ſine morâ ad Syalandiam fugit; ubi etiam Regem Waldemarum, filium videlicet Sancti Kanuti de Ringſtath, invenit. Rex igitur non ſuſtinens dejectionem Archiepiſcopi, & injuriam Sanctæ ecclefiæ, paucis diebus exercitum colligit copioſum. Intrans autem Scaniam in Anundælæf fixit tentoria. Qvo audito, Scanienſes occurrerunt ei in multitudine gravi. Cum igitur eſſet pons inter utrumqve exercitum, Regis videlicet & Ruſticorum, Scanienſes, moram non ſuſtinentes, per pontem priores ad Regem tranſire cæperunt. Perſpecto igitur Rex qvod media ferè pars illorum pontem tranſiſſet, mandavit ſuis ut irruerent in eos. Qvi juſſa complentes, plurimos trucidant: multos etiam ſe in amnem mergere compulerunt. Videntes igitur qvi ex parte alterâ amnis ſtabant, qvid ſociis mali immineret, nec viam adeundi & juvandi eos patere, fugam inierunt univerſi. Rex igitur victoria potita

tita, de bonis illorum qvi ditiores & auctores principaliores dissensionis fuerant, ablata Archiepiscopo restituit, & multo ampliora. Et hoc modo, ut supra dictum est, bellum in Anundælef dicitur contigisse, qvod alio nomine *Dusiefal* appellatur.

MCLXXXI. Rex Waldemarus occurrit Imperatori apud Trasn, ubi etiam duas filias suas maritavit.

MCLXXXII. Obiit Waldemarus Primus, qvi filius erat Sancti Kanuti Ducis & Martyris Ringstadis.

MCLXXXIIII. Expeditio facta est à Rege Kanuto ad castrum Walgust in Sclavia.

MCLXXXVII. Hierusalem à Paganis capta est. Eodem anno facta est Eclipsis Solis.

MCLXXXVIII. Dux Waldemarus fit miles VII. Kal. Januarii.

MCXCI. Expeditio ad Finland, qvæ devicta est à Danis.

MCXCII. Episcopus Waldemarus fugit de Daciâ. Et Petrus filius Domini Sunonis (Episcopus) Roskild. consecratur.

MCXCIII.

MCXCIII, Reverſus eſt Waldemarus Epiſcopus & captus. Et primum incendium in Eſrom.

MCXCIIII, Conventus venit in As clauſtrum Hallandiæ. Et Comes Adulfus de Holſatia capitur a Rege Kanuto.

MCXCV, Turbo magnus fuit in die Sancti Georgii.

MCXCVI. Kanutus Rex cum exercitu profectus eſt in Eſtland.

MCXCVII, Incepit ordo Sanctæ Trinitatis.

MCXCVIII. Sophia Regina obiit, & Petrus Epiſcopus captus eſt.

MCC, Holſatia Danis ſubjugatur, Eodem anno Sanctus Dominicus, Prædicatorum Dux inclytus, migravit ad Dominum. Qvi ex Hiſpaniæ partibus, villâ qvæ dicitur Calaroga, oriundus fuit, Oxonienſis ι) diœceſis. Natus autem piis parentibus, & religioſè nutritus, cepit eſſe puer ingenioſus; utpote qvi ſortitus animam bonam à Domino. Pater ejus Felix, mater ejus Johanna nuncupata eſt. De eo legitur, qvod cum factus eſſet prædicator, & diſputante eo contra hæreti-

D cos

ι) Exonienſem alii diœceſin nominant, in qva ſita eſt Calaroga, S. Dominici patria.

cos apud fanum Jovis ſub judicibus deputatis, & ſtatuto die adveniſſet plurima multitudo populorum, & longa diſputatio facta fuiſſet, nec facilè diſcerni potuiſſet, qvis rationabilior videretur, Beatus Dominicus, an hæreticorũ magiſter præcipuus. Tandẽ viſum eſt arbitris ut utrosq; libellos in ignem projicerent, Dominici videlicet & hæretici, & ſi qvis illorum illæſus evaderet, ille teſtis veræ fidei haberetur. Accenſo igitur igne uterqve immittitur, ac liber hæretici mox flammis exuritur, & liber Dominici prorſus non læditur. Secundo igitur injectus ac tertio, æqvè proſilit, incombuſtus, manifeſta probatione demonſtrans fidei Catholicæ veritatem & Dominici ſanctitatem. De miraculis ejus ita breviter in Seqventiâ reperitur:

" *A defunctis revocatum*
" *Matri vivum reddit natum*
" *Vivens adhuc corpore:*
" *Signo crucis imber cedit,*
" *Turba fratrum panem edit,*
" *Miſſum Dei munere.*

MCCI. Obiit Abſalon Archiepiſcopus Lundenſis. Cui ſucceſſit Andreas. Iſte Abſalon ſæpius hoſtes regni debellavit, nec

hec aliqvando eis succubuit, sed semper victoria potitus est. Qvi etiam cum Rege Waldemaro Scaniam, κ) ingressus eam ad fidem Christi convertit, sicut in libro Gestorum Daniæ λ) plenius explicatur. Ipse etiam Beatam Margaretam, à viro Herlogh in ölishöue interemtam, & in extremo littore orientali, ubi adhuc ecclesia antiqva cernitur, defossam, ad ecclesiam Sanctæ Mariæ Roskildis transtulit, & cum debita reverentia sepelivit. De miraculis illius Sanctæ, qvæ per illam Dominus operatus est, paucis, ut opinor, constat; non qvia non sunt per virtutem Domini facta, sed magis qvia non sunt scripto, ut dignum erat, ad laudem salvatoris nostri Dei, commendata, & in auribus fidelium publicata. Memoratus etiam Absalon, cum adhuc Episcopus esset Roskildensis, Sanctum Willelmum de Galliis per præpositum suum, nomine Saxonem, fecit adduci. Qvi etiam Ecclesiam Roskildensem XX. annis & duobus mensibus, insuper & aliqvot diebus, strenuè & magnificè rexit. Postea verò Archiepiscopus factus, Lundensi Ecclesiæ annis XX. & tribus & uno mense excel-

κ) *Corrige* Sclaviam. λ) *vid. Saxonem lib. XIV.*

cellenter præſidebat. Ipſe etiam clauſtrum Sora in patrimonii ſui ſolo fundavit, & rebus neceſſariis adauxit. Ubi etiam ab hac luce migravit, nocte videlicet Sancti Benedicti, ætatis ſuæ anno *LXXIII.* epiſcopatus autem *XLIIII.* Conditus eſt autem ante altare beatæ Dei genitricis Mariæ, fratrum devotione magnâ. Cujus etiam anniverſarius dies orationibus ſolennibus recolitur à generatione in generationem.

Epitaphium Domini Abſalonis.

Abſalon hic ſpecie, Samſon re, mente Salemon,
Nomine ſub trino tres tegit iſte lapis.
Terrarum terror teritur nunc terrâ, potentes
Terreat hoc ejus eſſe, fuiſſe, fore.

MCCII. Sanctus Willelmus in Æplæholt nocte reſurrectionis Dominicæ, dum tertium reſponſorium caneretur, migravit ad Dominum, VII Idus Aprilis. Epitaphium Sancti ejuſdem:

Pariſius natus, dictis factisque beatus,
Mundo ſublatus jacet hic Willelmus humatus.

Eodem anno obiit Rex Kanutus qvi fuit filius Waldemari Primi.

MCCIIII.

MCCIIII. Expeditio facta eſt in Norwegiam. Obiit Esbernus Snaræ.

MCCV. Rex Waldemarus duxit filiam Regis Boemiæ. Expeditio in Scaniam. μ)

MCCVI. Andreas Archiepiſcopus cum germanis fratribus ſuis duxit exercitum in Eſtland.

MCCVII. Rex Waldemarus obtinuit Buzæburgh, & deſtruxit.

MCCVIII. Dani corruerunt in Lenæ Sueciæ.

MCCIX. Epiſcopus Waldemarus, qvi filius fuit Regis Kanuti, qvi Roskildis à Svenone Rege in dolo cum Conſtantino qvodam nobili de Theutoniâ occiſus fuit, ejectus eſt à ſede Bremenſi, & à Papa excommunicatus eſt.

MCCX. Expeditio facta eſt in Samland & Pruſciam. Rex Sverkerus corruit.

MCCXI. Caſtrum Dimin in Sclavia ædificatur à Danis. Et pons ultra Albiam factus eſt.

MCCXII. Obiit Margareta Regina, filia Regis Boemiæ.

MCCXIII. Obiit Johannes filius Esberni Snaræ.

μ) *Et hic legendum* Sclaviam.

MCCXIIII. Obiit Petrus Epiſcopus Roskildenſis, & Gaufridus Abbas Soræ, & Olavus Epiſcopus Ripenſis.

MCCXV. Concilium generale celebratur Romæ à Papâ Innocentio. Waldemarus Junior in Regem eligitur.

MCCXVI. Waldemarus terram Palatini devaſtavit. Natus eſt Rex Ericus.

MCCXVIII. Otto Imperator obiit.

MCCXIX. Waldemarus ivit cum exercitu contra paganos in Eſtland.

MCCXX. Obiit Berengaria Regina. Hieruſalem à Chriſtianis recuperatur.

MCCXXII. Gregorius Cardinalis fuit in Dacia. Gunnerus (Abbas) Caræ inſulæ electus eſt in Epiſcopum Wibergenſem.

MCCXXIII. Captus eſt Waldemarus Rex, cum filio ſuo Waldemaro Rege à Henrico Comite homine ſuo in dolo.

MCCXXV. Obiit Petrus Epiſcopus Roskildenſis filius Domini Jacobi Sunonis.

MCCXXVI. Solutus eſt Rex cum filio, & Nicolaus filius Stigh factus eſt Epiſcopus Roskildenſis. Eodem anno Sanctus Franciſcus, expletis XX. annis, ex qvo perfectiſſimè adhæſit Chriſto, vitæ mortalis compedibus abſolutus IIII. Non. Octo-

Octobris, die Dominico, feliciter migravit ad Dominum. Beatus iste de civitate Assisii ortus fuit. Tertio decimo conversionis suæ anno ad partes Syriæ pergit, festinat ad Soldanum, atteritur verberibus, lacessitur injuriis, prædicat Christum, remittitur tamen ab infidelibus ad fideles. Columbinâ simplicitate plenus omnes creaturas ad creatoris amorem hortatur, prædicat avibus, auditur ab eis, tanguntur ab ipso, nec nisi licentiatæ recedunt. Duobus annis anteqvam Spiritum cœlo redderet, in visione Dei super se videt crucifixum, qvi crucifixionis suæ signa sic in eo evidenter expressit, ut crucifixus videretur & ipse. Consignantur manus, pedes & latus crucis charactere resultant in ipso. Legitur idem servus Dei leprosos mundasse duos, de qvibus unus paralyticus fuit, sed utriusque infirmitatis consecutus est sanitatem. Passiones etiam diversas patientes, qvorum numerus ignoratur, Christi virtute sanavit. Ideo canitur de ipso in prosa sic:

Salve decus pauperum,
In qvo Christum iterum
Monstrat sua vulnera.
Signa probant te beatum,

 Cujus

Cujus ossa sanitatum
Vaporant dulcedinem,
Quot sunt morbi tot medelæ,
Visus, gressus & loqvelæ,
Præbes plenitudinem.
Crucem præfers specialem;
Nec in terris habet talem
Sanctus nec in patriâ,
Novi clavi, lateris
Vulnus novi sideris
Probant privilegia,
O Francisce lux solaris,
Crucifixus singularis,
Jam cum Christo gloriaris
In choro cœlestium.

MCCXVII. Capti sunt Dani apud Bornæhöwæth.

MCCXXVIII. Venerabilis & Deo dignus Andreas Archiepiscopus Lundensis ex hac luce migravit ad Dominum. Eodem anno Archiepiscopus Petrus, qui ei successit, mortuus est; & Uffo Archiepiscopus consecratus. Tempore qvo præfuit Ecclesiæ Lundensi memoratus Archiepiscopus Andreas, miraculum tale Christus ostendere dignatus est: Erat in præfata civitate mendicus qvidam, qui amens à plurimis reputabatur, eò qvod cum

cum interrogatus de aliqva re fuiſſet, nihil reſpondiſſet niſi hoc ſolum, videlicet; Pater noſter, pro omnibus Chriſtianis animabus. Qvam ob cauſam *Pater noſter* appellatus eſt idem mendicus. Hic ſæpius ante fores burgenſium in platea pernoctavit, inſtar illius beati mendici evangelici, qvi jacebat ante fores divitis. Decurſis itaqve aliqvantis annis moritur, & in cæmiterio beati Laurentii mendicus ille ſepelitur. Nocte autem ſeqventi, dum deambulat in palatio ſuo venerabilis Andreas, audit in cæmiterio tumultum maximum dicentium, & qvaſi adinvicem ſeſe cohortantium in hunc modum: Oremus Pater noſter pro animâ Pater noſter. Poſtero itaque die fecit Archiepiſcopus inqviri, ſi nuper aliqvis ibi ſepultus fuiſſet, qvi *Pater noſter* fuerat appellatus. De qva re cum certificatus fuiſſet, glorificavit Deum, qvi non ſpernit orationem pauperum. Similem rem Prior qvidam in monaſterio Sancti Martini Turonis, à fratribus per Sacramenta Dei adjuratus, retulit, qvod qvando erat ſecularis, nocte qvâdam à tunc defuncto parochiano ſuo ad eccleſiam per cæmiterium rediens reſpexit, &

oſtium eccleſiæ apertum conſpexit, qvod clauſum paulò ante dimiſit. Unde cum multum obſtupuiſſet, ita mox in eodem loco defixus eſt, ut penitus abire neqviret, nec ſe movere poſſet. Et ecce, repente audita eſt vox clamantis & dicentis: Surgite fideles univerſi, qvotqvot in hoc cæmiterio reqvieſcitis ut commendemus animam cariſſimi noſtri, qvi qvoties tranſire ſolebat per hoc cæmiterium, pro nobis orationem faciebat, & eleemoſynas plurimas largitus eſt. Repente ad hanc vocem ſurrexerunt, & factus eſt ſonitus grandis cum egrederentur de tumulis ſuis. Porro in eccleſia videbantur cerei multi, hinc inde parietibus affixi; qvam cum ingreſſi fuiſſent, cæperunt commendationis officium ſolenniter decantare, ita ut uno dicente collectas & orationes, alii ſubjungerent Amen, cæterasqve reſponſiones, qvemadmodum in choro pſallentium fieri ſolet. Commendatione facta, clamatum eſt denuo, ut ſinguli reverterentur ad loca ſua. Cognita igitur virtute, Abbas prædicti monaſterii, cum eſſet vir bonus & religioſus, ſuper tam inauditis mirabilibus gratias egit Deo, generalemqve legem

gem in cœnobio illo cónſtituens, ut quotiescunqve cœmiterium aliqvos de fratribus intrare contingeret, toties pro fidelibus ibidem pauſantibus ad minus ſemel orationem Dominicam dicere non pigritarentur. O qvam irrefragabili veritatis teſtimonio ſubnixa eſt ſententia, qva dicitur, qvia qvi pro alio orat, pro ſe ipſo laborat. Si enim pietatis opus eſſe creditur, fideles pro fratribus & proximis, qvi adhuc juſtitiæ opera exercere, præmiaqvé juſtitiæ promereri valent, orare: qvanto magis negotium pietatis omni acceptione dignum eſſe cenſebitur, pro animabus fidelium intercedere, qvæ jam nec opera juſtitiæ, per qvæ bona merita conqviruntur, operari, nec ultra ad proximi remedia confugere valent, ſed ſolummodo peccatorum & negligentiarum ſuarum pænas, juſta divinitatis cenſura ſolvere coguntur. Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut á peccatis ſolvantur. Sciendum autem qvia memoratus Archiepiſcopus non ſolùm prærogativâ Primatus, ſed etiam dignitate legatiæ ſedis Apoſtolicæ ſuper Regna Aqvilonaria ſublimatus merito erat, ita ut qvicqvid perperam

in

in Regnis Daciæ, Sveciæ & Norwegiæ fuisset actum, ipse perfectè solveret & dispensaret. Qvantus clericus fuerit scire qvi desiderat, legat librum qvem metricè composuit qvi Exameron v) appellatur, qvi etiam sic incipit:

"*Æternâ vitâ nihil est felicius unqvam.*
"*Æternâ morte nihil infelicius omen.*
"*Hæc in lætitia transcendit, & illa dolore.*
"*Conceptum mentis neutrum comprendere*
" *sensus*
"*Sufficit humanus, neutrum (de)scribere*
" *lingva,*
"*Hoc præsens seclum, claudendum fine su-*
" *premo,*
"*Est qvasi momentum, collatum fine ca-*
" *renti.*
"*Sed multo brevius seclo spacium liqvet*
" *esse*
"*Humanæ vitæ, cui mors vel vita perennis*
"*Semper succedit, reprobis mors, vita beatis.*
"*Qvis furor est ergo, qvalis præsumtio,*
" *quantus*
"*Error, sic aliqvem percurrere tam breve*
" *tempus,*
"*Ut mors qværatur & vita beata fugetur,*
"*Qvæ mala, quæ dura, quæ non toleranda*
flagella,

v) i.e. *Hexahemeron.*

" *Æter-*

Æternæ vitæ dulcem gignentia fructum."
Quæ bona, quæ læta, quæ non jucunda"
cavenda, "
Æternæ mortis duras parientia pœnas. "
Ætas humana qvamvis prolixior exstans"
Annorum numerum maris exæquet arenis,"
Dispensanda tamen esset moderamine"
cauto, "
Ut deserviret æternæ tota saluti, "
Debita colligeret, obstantia qvæque cave-"
ret. "
Ut tandem posset succedere vita perennis."
Sed cum sit tantæ brevitatis, cum velut"
instans "
Transeat absque morâ, cum prætereat"
quasi fumus, "
Ad modicum parens, qvis summam de-"
neget esse "
Stultitiam, solis ipsam consumere vanis,"
Seria negligere, nugis intendere, vera "
Spernere, falsa seqvi, sacra devitare,"
profana "
Sectari, mores corrumpere, turpia velle, "
Cœlos despicere, flammas Phlegethontis "
amare. "

Qvantam devotionem ad Dominam nostram beatam virginem Mariam habuerit, Seqventiæ de eâdem virgine glorio-

rioſa compoſitæ, lucidè manifeſtant,quæ ita incipiunt: *Miſſus Gabriel de Cœlis. Stella ſolem præter morem &c.* Notandum etiam qvod amicus totius boni, ſcilicet Andreas, Metropolitanus Danorum, Sveciæqve Primas, auctoritate, ut dictum eſt, legationis ſedis Apoſtolicæ, inter plurima beneficia, qvæ indigentibus & miſeris largitus eſt, etiam hoc adjunxit, qvod qvadrageſimas & jejunia mulierum, qvæ invitæ & dormientes infantes ſecum habentes opprimunt, multum diminuit, ſicut hactenus obſervatur. Sed qvis digna in tanti viri laudem depromat, cum etiam virgo à familiariſſimis ſuis & veriſſimis confeſſoribus & fide dignis in tota vita ſua permanſiſſe aſſeratur. Unde verſificator:

"*Tu flos dulcoris, tu vas, tu fructus honoris*
"*Præſul es Andrea, tu Scanienſis honor.*
"*Tu virtute vires placido vigore virilis*
"*Nominis exponis ſignificata tui.*
"*Dulce tibi nomen, vir dulcis, amabile, ca-*
" *rum.*
"*Carus amabilis & religione ſacer.*
"*Tu vas non vacuum ſed plenum nectare,*
" *plenum*
"*Vas oleo, retinens balſama, mella, merum.*

"*Es*

Es cœlumcelſum, qvia myſtica quæ didiciſti "
Cœlica verba doces, dogmata vera tenens. "
Es flos nativo candore nitens, quia virgo "
Munere divino flos tua munda caro. "
Heu mihi qvod noſtro flos hic non crevit in horto "
Deperit, & læſo damna pudore fero. "
O felix qvi fece cares, fœtoreqve carnis, "
Cujus amœna patent ſpirat amicus odor. "
Felix tu tellus Syalandia flore venuſto, "
Terra ferax de qvâ prodiit iſte decor. "

MCCXXX. Cardinalis Otto fuit in Dacia. Eodem anno eclipſis Solis facta eſt.

MCCXXXI. Rex Waldemarus Junior obiit, & Regina Alienor. Rex Ericus conſecratur, & Abſalon Belgh obiit.

MCCXXXIII. Obiit Esbernus filius Nicolai Mule.

MCCXXXIIII. Eccleſia Sancti Laurentii Lundis, & Roskildis civitas incendio vaſtatæ ſunt.

MCCXXXVI. Obiit Waldemarus Epiſcopus monachus in Lükkæ Theutoniæ, qui fundavit clauſtrum As in Hallandia.

MCCXXXVII. Dux Abel duxit uxorem filiam Comitis Adulphi in Holſatia.

MCCXXXVIII.

MCCXXXVIII. Translatio Sancti Willelmi Abbatis in Æplæholt.

MCCXXXIX. Rex Ericus duxit uxorem Jottam filiam Comitis de Saxoniâ.

MCCXL. Hoc anno Rex Waldemarus in castro Orthingeburgh legem Danicam promulgavit, & eam in libro Danicè fecit conscribi, qui liber ita incipit: *Mæth logh scal man land bijggiæ.* Hoc autem factum est consentientibus filiis suis & præsentibus, videlicet Rege Erico, Duce Abel, Domino Christoforo, Venerabili etiam Metropolitano Lundensi Uffone cum suffraganeis suis.

MCCXLI. Obiit Rex Waldemarus II.us & Petrus filius Trangonis. & Eclipsis Solis facta est.

MCCXLIII. Rex Ericus contra fratrem suum Abel duxit exercitum apud Caldingæ.

MCCXLV. Nicolaus Episcopus Roskildensis expulsus est, & Concilium generale Romæ celebratur.

MCCXLVI. Obiit piæ memoriæ Dominus Jacobus Simonis; & Juris Stigsun interfectus est.

MCCXLVII. Claustrum Sora combustum est.

MCCX IX.

MCCXLIX. Obiit Epiſcopus Nicolaus apud Claram vallem. Villa Hafn devaſtata eſt,

MCCL. Rex Ericus apud Sleswic in nocte Beati Laurentii captus eſt á Duce Abel, tempore pacis. Qvem cum cepiſſet, ſicut retulit qvi ſe hæc ſcire proteſtatus eſt, dixit ad Regem: Memor eſſe debes, qvia anno transacto, cum vaſtares civitatem hanc, filia mea inter pauperes mulieres ad latibula diſcurrit, Cui Rex: Frater cariſſime. Bono animo eſto, qvia adhuc Deo volente ſupereſt mihi facultas tanta, qvod plenè poſſum filiæ tuæ calceos reſtituere. Cui Dux: Non hoc deinceps facturus es. Cumqve nullus eſſet, qvi Regem eriperet, commiſit eum Dux cuidam militi ſuo, qvi dicebatur Tuko Böſtæ cuſtodiendum. Miles verò hoc modo Ducem interrogavit: Qvò ducturus ſum fratrem tuum Regem? Reſpondit: Duc eum qvocunqve volueris, & fac de eo qvod vis. Quem ille feſtinanter cum pueris ſuis rapiens & cymbæ, qvæ ſub ponte erat, imponens remigando abceſſit. Cum autem non longè á civitate veniſſent, audiunt poſt ſe vehementer remorum impulſum per-

ſtrepere, vocesque remigantium, ut velociter properarent ſe adinvicem cohortantium. Dixitqve Rex ad comites ſuos: Qvis, putatis, eſt qvi poſt nos venit? Cui illi: Ex voce intelligimus qvod ſit Dominus Lagho filius Guthmundi. Qvibus Rex: Deprecor vos igitur, ô cariſſimi Domini mei, omnes qvi in hac navi eſtis, ut qværatis mihi presbyterum, cui confiteri valeam anteqvam moriar, certus ſum enim, qvia nullo modo ex manibus Laghonis evadere poſſum. Qværitur igitur presbyter, & favente Deo, ſine morâ reperitur, & ad Regem in navem adducitur. Peracta igitur confeſſione, miniſtri Sathanæ Regem arripiunt, & ad littus occidentale brachii maris, id eſt Slæ, advehunt, decollant, & decollatum appenſis galeis & caſſidibus in profundo ſubmergunt. Transactis vero aliqvantis hebdomadis à piſcatoribus inventus ad civitatem adducitur, & in eccleſiola monialium ſepultus eſt. Quem poſtea frater ejus Chriſtoforus Rex in Ringſtadiam ſuſtulit, & cum omni reverentia ſepultura Regia, ut dignum erat, fecit ſepeliri. Sciendum vero qvia omnes Regis mortis auctores ultio digna Dei

Dei modico poſt tempore in tantum ſecuta fuerit, ut ne unus qvidem ex omnibus remaneret, ſed univerſi morte peſſima vitam finirent. Aſſerunt plurimi fideles populi & devoti, & in ſuis tribulationibus ſæpius experti, qvod ſuccurrit Dominus, martyris ſui meritis, omnibus qui invocant eum in veritate. Ideo legitur in Epitaphio:

Hic jacet Ericus Rex, magni Regis amicus &c.

MCCLI. Comes Nicolaus, & Frethericus qvondam Imperator, & Gunnerus Epiſcopus Wibergenſis obierunt.

MCCLII. Abel Rex in Friſia occiſus eſt, cui ſucceſſit Chriſtoforus. Obiit Uffo Archiepiſcopus.

MCCLIII. Bellum fuit Skyælfiskör inter Chriſtoforum & Henricum Hæmælthorp.

MCCLIIII. Jacobus factus eſt Archiepiſcopus Lundenſis, & Petrus Epiſcopus Roskildenſis.

MCCLVI. Obiit Petrus Ebbonis, & ruſtici ſævierunt in milites cum clavis.

MCCLVIII. Bellum fuit Kycæthorp inter Regem & Ruſticos.

MCCLIX. Bellum fuit apud Næſt-

wæth inter rusticos & Jarmer, Rex Christoforus Ripis peremtus est.

MCCLX. Interiit Jarmer Sclavus, qvi Syalandensibus mala irrogaverat.

MCCLXI. Captus est Rex cum matre sua supra Loheth; & Claustrum Nestuæth combustum.

MCCLXII. Soluta est Regina. Eclipsis Solis facta est mense Augusto.

MCCLXIII. Scanienses restiterunt Duci de Brunswic.

MCCLXIIII. Castrum Aruæskogh destruitur. Venit Rex de captivitate.

MCCLXVI. Gvido Cardinalis fuit in Daciâ. Andreas Pincerna captus est.

MCCLXVII. Obiit Domina Ingæburgh in Hethæbii.

MCCLXVIII. Castrum Kaldingæ reædificatum est à Rege Erico.

MCCLXX. Andreas Pincerna obiit.

MCCLXXI. Domicellus Nicolaus obiit.

MCCLXXII. Rex vastavit Ducatum in Jutiâ. Dux Ericus filius Abel obiit.

MCCLXXIII. Rex duxit Agnetem filiam Marchionis. Rodulphus fit Imperator.

MCCLXXIIII. Concilium generale celebratur apud Lugdunum.

MCCLXXV.

MCCLXXV. Bellum fit in Swecia apud Houæ, ubi Rex Waldemarus captus eſt.

MCCLXXVII. Thrugotus fit Archiepiſcopus. Petrus Roskildenſis (Epiſcopus) obiit, cui ſucceſſit Stigotus.

MCCLXXVIII. Ericus filius Erici Regis in Regem aſſumitur.

MCCLXXIX. Domicellus Abel & Marianna, relicta Domini Johannis Nikles-ſun obierunt.

MCCLXXX. Thrugotus Archiepiſcopus obiit; cui ſucceſſit Johannes Dros.

MCCLXXXII. Regina Margareta & Domina Cæcilia, uxor Abſalonis obierunt.



Hactenus ipſum Chronicon. Quæ ſequuntur, variis antiquis manibus eidem paſſim adſcripta ſunt: nempe

Ad Ann. *MCXXXVI.* Ericus primo impoſuit terræ denarios aratrales, idcirco à ruſticis appellatus eſt *Emun*, qvaſi ſemper memoriabilis.

Ad Ann. MCLVI. post hæc verba: *adjuvante eum Esberno Snaræ;* in die Sancti Severini.

Ad Ann. MCLXIII. illa verba: *Waldemarus adivit Imperatorem* Fredericum apud civitatem Metensem.

Ad Ann. MCLXVI. Obiit Christoforus Dux Jutiæ.

Ad Ann. MCLXVII. post *Waldemaro*, & eruti sunt oculi ejus.

Ad Añ. MCLXXXIII. Haraldus Skreng à Swecia vocatus, ut regnaret in Scania, fugatur.

Ad Ann. MCLXXXV. Bugislavus Dux Pomeriæ, volens Ruianos delere, per Danos debellatus perdidit ferè qvingentas naves. Hoc anno factus est homo Regis Kanuti.

Ad Ann. MCLXXXIX. Expeditio facta est in Slaviam; & Jarmarus factus est tutor puerorum Bugislavi.

Ad Ann. MCXC. Brugstenburgh reædificata est per Danos.

Ad Ann. *MCXCIII.* illa verba: *Reversus est Waldemarus Episcopus & captus*, & positus in turri Norburgh V. annis, & post in Syoburgh IX. annis.

Ad Ann. *MCXCVIII.* Castrum Reynæsburgh

burgh captum, & Thytmarcia acqvisita per Danos in die Omnium Sanctorum.

Ad Ann. *MCCII.* post illa: *qui fuit filius Waldemari Primi*, Pridiè Idus Novembris. W. IIus. coronatur. Comes Adulphus captus est; & castrum Segebiærgh acqvisitum.

Ad Ann. *MCCIIII.* Comes liberatus est.

Ad Ann. *MCCVIII.* post illa: *in Lenæ Sveciæ;* Ebbo Sonæsun.

Ad Ann. *MCCXII.* supra vocem *Margareta*, Dagmar.

Ad Ann. *MCCXVII.* Ordo Prædicatorum incepit. Rex misit militiam suam Brunshwik in auxilium Ottonis contra Regem Philippum, & ipsum de Ripis - - - - duci fecit in expensis suis.

Ad Ann. *MCCXXIII.* Tempore de Christi qvo mundo prodiit isti
Mille ducenti tres anni bis qvoqve deni
Sunt, cum Danorum Regem fraus Teutunicorum
Victum deduxit, qvem plebs & curia luxit.

Ad Ann. *MCCXXIIII.* Orræ vastata est.

Ad Ann. *MCCXXVII.* poſt vocem *Bornæhöwæth*, die Beatæ Mariæ Magdalenæ; ubi Rex perdidit unũ oculum.

Ad Ann. *MCCXXXI.* illa verba: *Rex Waldemarus junior obiit.* Iſte Waldemarus, homo bonus & manſvetus, ſeqventi anno poſt coronationem ſuam in venatione in ſylva Ruſnes per qvendam militẽ de baliſta caſu percuſſus in pede mortuus eſt.

Item ſupra has voces: *& Regina Alienor*, filia Regis Caſtellæ.

Ad Ann. *MCCXXXIII.* Minores Daciam intraverunt.

Ad Ann. *MCCXXXVII.* Bellum fuit Scanöör inter Danos & Baggos. Item ſupra voces *duxit uxorem* Mectidam.

Ad Ann. *MCCXLVII.* Guerra generalis.

Ad Ann. *MCCXLVIII.* Rex duxit exercitum in Ymbre. Nuptiæ Chriſtofori celebrantur.

Ad Ann. *MCCL.* Ericus homo pulcherrimus, & mitiſſimus miles, fuit omnibus ſupra modum amabilis, & multa ſtrenuè fecit. Inter eum & Abel fratrem ſuum Ducem magna diſcordia fuit (qvæ) diu duravit. Nam Abel ſororem Comitum Holzſatiæ uxorem habuit, qvos Rex modis omnibus

bus volebat sub ditione Danorum ponere. Dux vero Abel pro eorum defensione se fratri opposuit, unde & multoties contra ipsum dimicavit exercitu Theotunico adjutus. Tandem Dux Abel vitam & bona ponere in manibus Regis compellebatur, & sic facti sunt amici ut videbatur. Super hoc juraverunt viginti nobiles & Domini ex parte Ducis, ita ut si Dux aliqvando se opponeret Regi, ipsi viginti Ducem deserere deberent & homagium à Rege in odium Ducis recipere. Postea Archiepiscopus Bremensis Gerardus, Symon Pandeburnensis & Comites Holzsatiæ castrum Regis in Regnzburgh cum mille qvadringentis dextrariis obsederunt. Contra qvos Rex Ericus paratus ad pugnam cum maximo exercitu Danæwirkö venit. Sed declinans ad civitatem Sleswik cum fratre suo Duce Abel causa solatii, factâ prius inter eos pace, in nocte Sancti Laurentii à fratre suo Abel captus est, qvem qvidam miles Ducis, Lawo Guthmundssun, juxta Myösund occidit, & corpus ejus in Slyam submersit.

 Ad

Ad Ann. MCCLII. ad illa *in Frisia occisus est*, juxta Mildænburgh, vigilia Petri & Pauli.

Ad Ann. MCCLVII. Haqvinus Rex Norvegiæ fuit in Daciâ.

Ad Ann. MCCLIX. vocem *Jarmer*. Jærmarus.

Ad Ann. MCCLXI. post illa: *supra Lobeth*. profesto Olavi.

Ad Ann. MCCLXIX. Albertus Marchio Brandeburgensis duxit Mectildem filam Christofori Regis.

Ad Ann. MCCLXX. Bellum fuit in Estoniâ.

Ad Ann. MCCLXXIIII. Ericus nascitur.

Ad Ann. MCCLXXIX. Ericus Rex Danorum Wæstrægothiam rapina & incendio vastavit.

Ad Ann. MCCLXXXIII. Pax reformatur, Waldemarus Erici fit Dux, & Jacobus Comes. Fames in Daciâ.

Ad Ann. MCCLXXXIIII. Domicella Jutta obiit. Castrum Lauholm frangitur.

Ad Ann. MCCLXXXV. Dux Waldemarus captus est à Rege, & Dapifer suus, & in Syoborgh compeditus.

Ad Ann. MCCLXXXVI. Obiit Johannes Episcopus Otth. Cui successit Gisico. Obiit Sophia Regina Sweciæ. Ad

Ad Ann. MCCLXXXVII. Ericus Rex mortificatus in lecto suo in Findörp Jutiæ in nocte S. Cæciliæ.

Ad Ann. MCCLXXXVIII. Stigotus Andærsun cum suis fugit.

Ad Ann. MCCLXXXIX. Obiit Jo. Dros Archiepiscopus Lundensis. Jo. Grand successit. Jo Crak fit Episcopus Roskildensis.

Ad Ann. MCCXC. Castrum Hiælm ædificatur. Normanni vastant Lannlandiam.

Ad Ann. MCCXCI. Soldanus vicit Acharon, interficiens masculos cum mulieribus.

Ad Ann. MCCXCII. Skielm Dapifer interficitur.

Ad Ann. MCCXCIII. Tertia expeditio Regis Noruegiæ in Daciam, Stigotus obiit.

Ad Ann. MCCXCIIII. Jo. Archiepiscopus capitur. Rano Jonassun rotatur.

Ad Ann. MCCXCV. Archiepiscopus clam liberatur. Isarnus nuncius Papæ fuit in Dacia. Treugæ dantur exulibus.

Ad Ann. MCCXCVI. Rex Ericus duxit Ingiburgh filiam Magni Regis Sweciæ.

Ad

Ad Ann. MCCXCVII. Rex devicit Kalendeburgh & Chriſtoforum.

Ad Ann. MCCXCVIII. Caſtrum Hænæsgafl capitur. Iſarnus cum Archiepiſcopo venit.

Ad Ann. MCCXCIX. Venit interdictum in totum Regnum Daciæ, & duravit per qvatuor annos, & in qvinto anno á Purificat. uſqve ad Paſcha.

Ad Ann. MCCC. Rex Tartarorum devicit Soldanum. Obiit Giſico Epiſcopus. Clauſtrum Ringſtath incenditur.

Ad Ann. MCCCI. Olavus fit Epiſcopus Roskildenſis. Indulgentiæ Romæ.

Ad Ann. MCCCIII. Johannes Grand Archiepiſcopus depoſitus fuit.

Ad Ann. MCCCIIII. Obiit Comitiſſa Agnes, qvæ prius fuit Regina Danorum.

Ad Ann. MCCCVII. Ericus Rex cum magno exercitu profectus eſt in Sweciam.



Huc

Huc usq; vetusta illa additamenta. Seqvuntur alia, ad infra scriptos præsentis Chronici annos similiter apposita, sed recenti manu; qvæ tamen ex antiqvo qvodam codice desumpta esse videntur.

MCXV. Claravallis fundatur, & Beatus Bernardus ibidem Abbas præficitur.

MCXX. Ordo Præmonstratensis initium sumit.

MCXXXII. pro eo qvod est in Chronico: & -- *fugit Ericus*, in qvo Ericus potitur victoriâ.

MCXXXVI. Ericus Emunæ factus est Rex, qvi fecit occidi Haraldum fratrem suum.

MCXXXVII. Tenebræ fuerunt in qvadragesima per totam Daciam.

MCXXXIX. ad illa verba: *interfectus est* in Jutiâ.

MCXL. Olaus filius Haraldi rebellavit Ericum Regem.

MCXLIII. Olaus occidit Rikonem Episcopum Roskild. in Ranlöse.

MCLIIII post istas voces: *sororem Kanuti*, & reconciliati sunt Reges.

MCLVI. Sueno, violatâ per ipsum fide & pace, fugatus est in Saxoniam; redi-

ens-

ensqve cum Duce Henrico & multo auxilio, ut expugnaret Kanutum & Waldemarum, & iterum fugit.

MCLVII. Sueno iterum rediit; pacem fecit, & tripartitum est regnum. Waldemarus enim sortitus est Jutiam, & Kanutus Sialandiam cum Insulis circumjacentibus, & Sveno Scaniam. Sed his non contentus Sveno, mox Kanutum Roschildis dolo occidit.

MCLXXI. Sanctus Kanutus translatus est. Kanutus filius Waldemari coronatus est. (Stetin.

MCLXXVI. Vualdemarus obsedit castrum

MCXCI. post illa: *Expeditio ad Finland* per Kanutum Regem.

MCXCIIII. Asylum fundatur.


MCXCVIII. post illa: *Petrus Episcopus captus est*, & Thorbernus frater ejus.

Adhuc alia recenti manu.

Ad Ann. *MCCIX.* Natus est Valdemarus, primus filius Valdemari.

Ad Ann. *MCCX.* Pons ultra Alb... factus. *Item:* Ericus Rex Sueciæ duxit sororem Regis Valdemari.

Ad Ann. *MCCXIIII.* Rex duxit secundam uxorem Berengariam.



Alle-

Allegatur superius pag. 21. & 40. Liber de Exordio Cistertiensis Ordinis. *Illum sub titulo* Exordii Magni Ordinis Cisterciensis *Tomo I. Bibliothecæ Patrum Cistercienſium Bonofonte anno* 1660. *publicavit Bertrandus Tiſſier: quod opus cum non ubivis occurrat, inde, in præſentis illuſtrationem, duo illa Capita, quorum partes ſupradictis adducuntur locis, integra hic tranſcribere viſum eſt. Idem Ciſtercienſis Ordinis Exordium in melioris notæ MSto codice Chartaceo, anno* 1473. *exarato, ac* Narratio Ciſtertienſis Ordinis *inſcripto, Sereniſſimi Electoris Brandenburg. Bibliotheca ſervat, ex qvo variantes lectiones, in inferiori margine paſſim hic adjectas, mea manu fideliter deſumſi.*

Diſtinctionis III. Cap. XXV.

De Domino Eſchylo, a) quondam Danorum Archiepiſcopo, poſtea monacho Claræ vallis.

Vir magnificus, & cum omni reverentia nominandus Eſchilus, *b*) qvondam

a) *MS habet* Eskillo. b) *MS* Eskillus.

dam Danorum Archiepiſcopus, & Apoſtolicæ ſedis in inſulis Aqvilonaribus Legatus, poſtea vero humilis Ciſtercienſis ordinis monachus, & cœnobii Claræ vallis profeſſus, cum adhuc eſſet adoleſcens, annos natus circiter duodecim, transmiſſus à parentibus cauſa ſtudiorum in Saxoniâ morabatur, qvæ tunc in nobili illa Hildeſemenſi *c*) Eccleſia florentiſſima, à clericis diverſarum regionum celebri concurſu freqventabatur. Itaqve dum aliqvamdiu ibidem moratus fuiſſet, graviſſimam valetudinem *d*) incidit, & diuturno langvore tabeſcens, tandem à Medicis deſperatus eſt. Ideoqve procuratum, *e*) ut oleo ſacro ungeretur. Cumque Presbyteri cæteriqve fideles hujus rei gratia lectulo ejus aſſiſterent, ſubitò factus in agonia, omni membrorum ac ſenſuum officio deſtitutus eſt, ita, ut ferè mortuus putaretur. Exemptus ergò carnis ſenſibus, ductus eſt in ſpiritu ad qvandam manſionem totam interius qvaſi clibanum ardentem: ad qvam cum propius accederet, & curioſius inſpicere vellet, ſubitò erumpens vapor incen-

c) *in MS eſt*: Hyldenſemenſi. d) *MS* invaletud.
e) *MS addit*; eſt.

cendii apprehendit incautum, moxqve in illam fornacem flammivomam traxit invitum. Qui cum protinus ardere cœpisset, jamqve nihil aliud nisi f) ignem æternum sibi superesse cogitaret: ecce miserante Deo apparuit ei in uno diversorii latere meatus qvidam qvasi tramitis angusti, de ostio ad ostium ducens, qvi etiam flammis vacuus esse videbatur. Qvem cernens & spe evadendi animatus, conatu qvo potuit reptans ad locum illum refrigerii pervenit: & per illum ad ostium tendens celeriter exiit & fugit, palpitans ac tremens à facie ignis devorantis. Moxqve palatium qvoddam regale & amplum reperiens, & illuc g) ingrediens, vidit in eo reginam cœlorum, Dominam Angelorum, vultu & habitu mirabili coruscantem, atqve in throno gloriæ residentem. Ad qvam pavidus & anhelus accedens, flagitabat obnixè, ut sui misereretur. Qvem protinus illa dedignanter aspiciens, atqve minaciter alloqvens, qvod ausus fuisset in conspectu ipsius apparere: mandat qvantocius egredi, & cruciandum ad ignem reverti. Porrò in-

F ter

f) *MS addit* mortem &; g) *MS* illuc.

ter alios matri misericordiæ assistentes; apparebant ibi tres viri venerabiles; qvorum unus ejusdem civitatis Episcopus erat: alter verò decanus, tertius nihilominus nescio qvid officii in eadem Ecclesia administrans. Hos itaqve præfatus adolescentulus intuens ac recognoscens, lacrymabiliter precabatur, qvatenus piissimæ Dominæ pro ipso supplicare dignarentur. Qvod cum devotissimè facerent, misericordissima illa dissimulatrix *h*) respondit eis dicens: Qvid est, qvod rogare præsumitis pro adolescente isto vanissimo, meoqve respectu indigno? Hic enim perversus & lubricus *i*) nunqvam salutationem meam mihi vel una vice repræsentavit. Cumqve rogarent illi, ut solita pietate delicta juventutis & ignorantias illius dimitteret, si de cœtero se emendaturum promitteret: accessit iterum tremebundus adolescens, obsecrans eam, & dicens: Miserere mei, piissima Domina, miserere mei, reparatrix *k*) generis humani: & ne claudas à me misero inexhausta viscera misericordiæ tuæ; qvia paratus sum

h) *MS* Dissimilatrix. i) *MS addit* nunqvam hortavit me; k) *MS. habet* miseratrix.

fuum à modo & usqve in sempiternum servire tibi; & te super omnia post Deum venerari. Qvod si genitor meus istam calamitatem meam agnosceret, maxima auri pondera pro mea liberatione libenter impenderet. Talia itaqve cum lamentabili voce deprômeret, beatissima virgo, vera mater misericordiæ, serenatâ facie respiciens illum, dixit: Qvid igitur? Putasne qvia valeas te ipsum apud me condigno pretio redimere? In hoc enim forsitan placare me posses, si congruum mihi pretium pro tua redemptione persolveres. Tum ille non modicè exhilaratus in verbo isto, fiducialius accessit & dixit. Etiam atqve etiam clementissima Domina; ego me optime rediman: & qvidqvid jusserit mihi dignatio tua, libentissimè faciam: tantummodo esto mihi propitia, nec me in illum ignem cruciandum amplius remittas. Cui Regina virginum respondit: Volo igitur, ut de qvinqve generibus annonæ qvinqve mihi modios, hoc est de singulis singulos, non negligas reddere. Qvo ille audito lætanter accepit, respondensqve alacriter dixit: Carum est mihi, ô carissima Do-

Domina, qvod imponis, valdèqve jucundum: & ego mensuram bonam & confertam & coagitatam & supereffluentem dabo in horreum tuum. Qvod cum in fide sua firmiter promisisset, datis etiam fidejussoribus intercessoribus supradictis, dimissus est *l)* ad humana reverti. Redditus itaqve sibi, confestim aperuit oculos, receptoqve usu loqvendi surrexit & sedit in lectulo suo *m)* moxqve in jubilum erumpes, cœpit clamare cum gaudio magno dicens: Benedictus Deus, *n)* liberatus sum: & amplius non ardebo. *o)* Videntes cuncti qvi aderant, adolescentem illum de mortis janua revocatum ita clamantem, & ita præ gaudio gestientem, mirati valde scitabantur ab eo tantæ lætitiæ causam. Ipse verò per multum temporis spatium nil aliud dicere poterat, nisi tantummodo, Deo gratias, ego non ardebo, ego non ardebo. Et cum sæpius illud repetisset, conversus tandem ad illos, qvid sibi accidisset, vel qvid vidisset, per ordinem indi-

l) *MS addit* tandem liber. m) *MS* lecto. n) *MS addit* ego. o) *MS addit*: Gratias ago tibi Sancta Dei genitrix virgo, qvia liberasti me de incendio isto, & amplius non ardebo.

indicavit. Unus autem ex ipſis, vir bonus & eruditus, hæſitantem de viſione adoleſcentem ſecretiùs alloqvi atqve inſtruere curavit dicens: Scito prænoſcens, futurum te eſſe magni nominis virum: & gradum maximæ dignitatis in Eccleſia ſortiturum. Qvem cum favente Deo adeptus fueris, oportet te in honorem Dei & Sanctæ Virginis matris diverſorum ordinum cœnobia qvinqve de tuo conſtruere: in qvibus juxta menſuræ tibi propoſitæ rationem habeantur ad minus perſonæ duodecim, divino jugiter obſeqvio famulantes. His ille auditis interim tacuit: ſed qvem res exitum habitura foret, ſemper ſolicitus fuit. Porrò in ipſa viſione ſignificatum eſt ei, tres illos venerabiles viros, qvi pro eo interceſſores extiterant, cum adhuc in carne degerent, eodem anno fore de mundo migraturos: qvod etiam celerius ſecuta p) mors eorum verum fuiſſe comprobavit. Proceſſu verò temporis, cum præfatus adoleſcens ætate pariter & ſapientia creſcens jam in virum optimum profeciſſet: ordinante Domino ad regimen Lundenſis Eccleſiæ, quæ

 Da-

p) *MS* ſubſec.

Daciæ Metropolis habetur, aſſumptus eſt. At poſtqvam jamdudum prophetatæ ſibi dignitatis culmen aſcendit, illico reddendi voti ſui tempus adeſſe cognovit: in qvo ſub qvinqve generibus annonæ ſecundum interpretationem voti ſui, diverſorum Ordinum Cœnobia qvinq; ſe fundaturum Reginæ cœli devoverat. Nactus igitur oportunitatem, de remotis Galliarum partibus, ubi fontem Religionis eſſe cognoverat, non ſolùm qvinqve, ſed etiam plures ſpiritualis q) profeſſionis Conventus evocare curavit: inter qvos etiam Ciſtercienſis Ordinis duos Conventus obtinuit, unum ſcilicet de ipſa Domo Ciſtercii, & alterum de Claravalle r) quosqve in optimis terræ ſuæ locis tanqvam vites fructiferas, vinum juſtitiæ germinantes, paſtinavit. Ut enim ſemetipſum perfectè redimeret, menſuramqve bonam & ſupereffluentem piiſſimè liberatrici ſuæ, ſicut promiſerat, perſolveret, qvinqve Cœnobiorum fundatione contentus eſſe noluit: ſed alia atqve alia, tàm de ſuo, qvàm de aliorum fidelium dono, ſtuduit ædificare. Dabat etiam operam Paganitatis ritus

q) *MS* Spiritalis. r) *MS* Clarevalle.

tus, qvibus adhuc ex magna parte terra illa imbuta erat, radicitus extirpare & Christianæ disciplinæ moribus omnes salubriter informare: superbientes & contemnentes ultionis mucrone ferire. Ita deniqve zelo justitiæ armatus, noxia qvæqve & superstitiosa eliminare, & omnia saluti animarum profutura genti suæ providere satagebat: ut à multis retrò temporibus nullum in Metropoli illa Antistitem sedisse putemus, qvi tantum in Ecclesia Dei fecerit fructum, quantum fecit ipse. Dominus autem, qvi ob illius honorem & amorem cuncta faciebat, curabat voci ipsius dare vocem virtutis; & qvos hic anathematis vinculis innodabat, ipse terribili morte mulctabat: intantum, ut adulterum qvendam divitem ac potentem, quem venerabilis Sacerdos in Cœna Domini publicè excommunicaverat, in ipsa sacratissima noctæ Dominicæ Resurrectionis cum adultera & duobus filiis ex adulterio natis malignus spiritus crudeliter suffocatum, ad inferos æternaliter puniendum detraheret. Sanctum qvoqve Bernardum, reverendissimum Clarevallis Abbatem, licet longius à se re-

motum, unico venerabatur affectu, unica devotione colebat. Nec contentus est in filiis eum videre, cum novum Cœnobium extruxiffet, & ab eo, ficut prædiximus, defideratum facræ congregationis examen impetraffet: prævaluit apud eum defiderium vehemens, ut homo tantæ auctoritatis, & in infulis illis tàm Ecclefiaftica qvam feculari auctoritate fingulariter potens, expofitis fuis omnibus, etiam femetipfum periculis multis traderet & labori. Venit igitur Claramvallem s) perfona humilis & fublimis, qvam à finibus terræ non curiofitas audiendæ fapientiæ, fed fidei zelus & plenitudo devotionis attraxerat. Ubi qvantum fleverit, qvalem fefe non modò erga eum, qvem tàm unicè fufpiciebat, fed etiam erga minimos qvoslibet fratrum exhibuerit, non eft facile dictu. Demum rediturus ad propria, ut benedictum à famulo Dei panem referre poffet, & diutius confervare, humano fenfu præcepit, ut in clibano recoqveretur, ficut folent qvi maria tranfeunt, panem ferre bis coctum. Sed Abbas fanctus amicabiliter arguens in

s) MS Clarevallem.

in hac parte fidem ejus modicam inveniri; itane, inqvit, non poterit benedictio ipſum panem, magis qvàm recoctio conſervare? Et non acqvievit benedicere illum, ſed communem panem ſibi præcipiens exhiberi, benedixit, & ait: Ecce hunc tolle tecum, nihil deinceps de corruptione ſolicitus. Tulit, & ad ſuos per multa qvidem terræ & maris ſpatia proſpere rediens, gloriabatur fidei ſuæ defectum evidentiſſimâ rei veritate convictum. Haud multò verò poſthæc elapſo tempore, triſtiſſimus rumor aures ejus perculit de dormitione beati viri, ſpecialis amici ſui: ſcribente ſibi libellum de tranſitu ejus t) Domno Gaufrido monacho Clarævallenſi, qvi notarius ejusdem ſanctiſſimi Abbatis non parvo tempore fuerat. Tùm verò concaluit cor ejus intra ipſum, & in meditatione ipſius exarſit ignis; vana, tranſitoria atqve caduca reputans univerſa, quæ hominis intentionem præpedire poſſunt à recto curſu, qvo ad patriæ cæleſtis beatitudinem tenditur. Itaqve commendans Eccleſiam, cui laudabiliter præfuerat,

 Deo

t) *MS* ejusdem.

Deo & principibus terræ, relictis parentibus & propinqvis, notis & amicis, ipsiqve patrio cespiti valedicens, exul egregius Claramvallem *u*) venit: sepulchrum beati viri, intimi qvondam amici sui, visitavit, & ad sacratissimam *v*) tumbam ipsius vivere & mori delegit: ubi etiam sacræ Religionis habitum, Deo donante, postmodum suscepit. Nec enim minus in defuncto, qvam olim in vivente confisus est: qvippe, qvem post mortem carnis verius vivere omnino non ambigebat. Qvanto ergo ab Ecclesiasticis & secularibus negotiis secretius vacabat, tanto sanctius divinis obseqviis intendere curabat: devotioni sacræ orationis qvotidie, imo pene continue solicitius invigilare: pro peccatis suis præteritis myrrham cordis contriti & spiritus humiliati Deo offerre: & gratiam supernæ benedictionis thymiamate piæ compunctionis enixius implorare. Quadam igitur vice dum in oratorio suo solus consisteret, apparuit ei vigilanti & oranti qvidam frater ejus uterinus, qvi olim defunctus fuerat, quiqve hostili gladio trucida-

cida-

u) *MS* Clarevallem. v) *MS* Sanctiss.

cidatus occubuit, & morte præventus viaticum non accepit. Hic etiam dum adviveret, eundem Archiepiſcopum aliqvando injuſtè offenderat, nec ei ante mortem reconciliatus fuerat x) per ſatisfactionem. Cumqve veniſſet ante illum, demiſſo capite ſuppliciter inclinabat ei, qvaſi de offenſa veniam poſtulans, aut etiam orationum ſuffragia flagitans. Stetit ergò aliqvamdiu coram illo, nihil penitus dicens, niſi tantùm humiliato capite calamitatem ac neceſſitatem propriam innuens. Sed neqve Archiepiſcopus qvidquam locutus eſt ei: qvia præ timore & admiratione nimia y) mente turbatus, & ſui minimè compos erat. Veruntamen ex eodem mortuo nil aliud agnoſcere poterat, niſi ſolummodo caput & collum, ac ſummitatem ſcapularum. Reliqva namqve pars corporis ita ardere videbatur, ut nulla penitus in eo membrorum lineamenta diſcernere poſſet: nec qvidquam aliud cerneret, niſi flammam, qvæ totum eum occupaverat. Cumqve aliqvamdiu ſic miſerabilis apparuiſſet, tandem ab oculis ejus ſublatus eſt: Sed fraternam ani-

x) *MS* eſt. y) *MS addit* et.

animam super angustia suâ magno dolore conterebratam reliqvit: qvi etiam posterâ die veniens in capitulum monachorum, multa missarum & orationum impendia pro eodem mortuo impetravit.

Distinctionis IV. Cap. XXVIII.

De venerabili D. Gerardo Monacho Claravallis, postea Abbate.

POstqvam aqvila illa grandis magnarum alarum, multarumq; plumarum, magnus videlicet Pater Bernardus, magnus meritis, sublimis sanctæ contemplationis alis, ornatus varietate virtutum, medullam cedri, id est perfectionem Religionis, qvam de summitate Libani, id est, de altitudine divinæ gratiæ acceperat, in solitudine vallis absynthialis plantavit, quatenus eadem vallis mediante amaritudine pœnitentiæ verteretur in Claramvallem, cœpit jam Religio ipsa transplantari super aqvas multas, id est diversarum nationum cervicosas ac tumidas voluntates, tamqvam cœrule-

fuleos undarum vertices ad veræ pietatis cultum inclinare. Volens autem idem venerabilis pater in populis Aqvilonarium partium, ficut & in cæteris gentibus aliqvem fructum habere, petente religiofa femina Regina Sveciæ, conventum fratrum ad partes illas direxit. Cumqve Monachi & Converfi, qui ad hoc denominati fuerant, ut hominibus rudibus & indomitis formam religionis & difciplinæ traderent, nimio mœrore confternati, precibus qvibus valebant, agerent, ne tanti patris præfentia cariturі, ad exteras & barbaras mitterentur regiones, Sanctus Abbas refpondit: a) Ut qvid irrationabilibus fletibus & precibus affligitis animam meam? Aut numqvid voluntatem meam, & non potius voluntatem Dei, cui omnes obtemperare debemus, feqvor in hoc negotio? Erant autem coram eo pofita veftimenta, & vafa facra, cæteraqve utenfilia ad minifterium divini officii pertinentia, qvæ iidem fratres, qvi mittendi erant, fecum ferre debebant. Volens itaqve certos eos reddere, qvoniam à Domi-

a) *Ms addit:* Qvid eft hoc dulciffimi fratres qvod facitis?

mino egressus esset sermo, elevavit pelvim, qvæ ad recipiendam aqvam Sacerdotis manibus fundendam deputata erat; & digitum fundo ejus imprimens, dixit: Ecce hoc vobis erit signum qvod Spiritus Domini miserit vos. Mirum in modum rigor & inflexibilitas æris teneritudini digiti ejus cedere visa est: adeo ut cujus qvantitatis sacer articulus fuerit, usq; hodie liqvido valeat dignosci. Qvantum autem intus cessisse, tantum foris æqvalitatem excessisse videtur. In testimonium, enim tanti miraculi eadem pelvis in secretario domus, qvam tunc pater sanctus ordinavit, summa cum reverentia servatur. Porro prædicti fratres videntes perspicuam divinæ gratiæ præsentiam adesse, stimulos edacis tristitiæ reprimentes gavisi sunt: & licet remotissimas, & in ultimo climate Aqvilonaris brumæ abstrusas nationes, non sine qvodam horrore spiritus adire possent: tamen eandem gratiam Dei meritis & precibus sancti Patris nostri intervenientibus se comitaturam, pia confidentia præsumebant. Erat vero inter cæteros adolescens qvidam honestæ indolis & co-

lum-

lumbinæ ſimplicitatis, Gerardus *b*) nomine oriundus de Provincia Germaniæ ſecundæ, civitate Trajecto; qvi impatientius aliis dolens, cum lacrymis dixit ad virum Dei: Beatiſſime Pater, ego miſerabilis juvenculus relicta domo paterna, ſpretisqve *c*) omnibus, quæ mihi in hoc ſeculo deſiderabilia & amabilia eſſe poterant, religionis amore paternitatem tuam adii, ſperans me tua dulciſſima præſentia debere frui, tuis doctrinis & exemplis informari, tuis meritis & precibus adjuvari, ſubque ſanctæ hujus multitudinis umbraculo à turbine tentationum, & ab æſtu juvenilium deſideriorum tutari: qvodqve votis omnibus exopto, inter ſacra corpora fratrum noſtrorum in hoc cæmiterio qvieſcentium diem expectare noviſſimum. Et ecce ejicis me hodie à facie tua, ſanctique hujus collegii conſortium perdo; & inſuper deſiderata mihi ſepultura privabor. Hinc prorſus, hinc vehementer doleo: qvia cor meum conturbatum eſt in me. Compaſſus adoleſcenti vir beatus afflictam mœrore animam ejus affatu blando mul-

b) *MS* Gerhardus. *c*) *MS addit*: rebus.

mulcere curavit: & qvæ post annos quinquaginta futura erant spiritu Prophetico prævidens & prædicens, ait ad eum. Vade, fili carissime, *d*) qvò te Spiritus Sanctus mittere dignatur, & in agro Dominico tamquam strenuus operator labora: ego tibi in nomine Domini polliceor, & securum te facio, quia sicut desideras, in Claravalle *e*) morieris: & cœlestis sponsi gloriosum adventum unà nobiscum præstolaberis. Hanc ergò tàm lætam pii Patris sponsionem frater ille velut arrham desiderii sui suscipiens, gavisus est valde: sciens utique, nec falli posse, nec fallere velle hominem, quem sapientiæ & veritatis sectarium esse, manifesta signorum & prodigiorum declarabant indicia. *f*) Ivit itaque, & in domo, quam cum cæteris fratribus initiare mittebatur, Prioris & Cellerarii administrationes strenuè percurrens, divina largiente gratia nomen pariter & officium Abbatis sortitus est. Cujus dignitatis apicem licet invitus conscenderet, *g*) malens in humili loco salvari, qvàm in sublimi peri-

cli-

d) *MS addit*: vade. e) *MS* Clarevalle. f) *MS* initia. g) *MS* ascend.

clitari: susceptum tamen religiosissimæ conversationis nitore decoravit. Qvia verò propter paucitatem Clericorum, vix aliqvis de terra illa convertebatur, Dominus fideli suo de partibus Germaniæ & Angliæ literatas & discretas personas mittebat: per qvas disciplina Monasticæ Religionis in regno illo fundata crescebat, & fructificabat competenter in populis, qvi Monachi qvidem nomen audierant; sed Monachum antea *b*) non viderant. Ipse etiam Domnus Abbas Cellerario suo, Abraham nomine, viro prudenti, universa domus ordinatione in temporalibus, cunctisqve negotiis exterioribus commissis, totum se spiritualibus studiis mancipavit: animabus lucrandis intendere, in servitio Dei vigil & solicitus inveniri, freqvens esse in labore, dum alias vacaret: freqvens etiam in lectione, corporale subsidium de communi qværere, & per omnia formam pietatis & religionis fratribus suis studens exhibere. Tanta qvoqve mansvetudinis & patientiæ gratia pollebat, ut cùm qvadam vice Monachus qvidam, qvem pro culpa sua castiga-

G rat,

b) *MS* ante.

rat, *i*) maligno ſpiritu afflatus, deſcendentem, eum per gradus Dormitorii pugno tàm validè percuſſiſſet, ut dolor non modicus ictui ſuccederet, tantæ perverſitatis hominem non ſolùm non ejiceret, ſeu gravi culpæ ſubjiceret: ſed econtrario ſeorſum eum trahens, veniam coram ipſo peteret: ſupplicans, ut rancorem, qvem adverſus ſe habebat, propter Deum dimitteret. Cæterum qvidqvid virtutis, qvidqvid religionis, tàm in ſe qvàm in ſubditis ſuis deprehendebat: non hoc ſuæ induſtriæ, ſed gratiæ Dei, meritisque ſanctiſſimi Patris ſui Bernardi tribuebat. Jam verò ſi fortè agendorum cauſâ negotiorum, certa neceſſitas eum de Monaſterio progredi poſtulaſſet: tantùm ſe ac talem in omni diſciplina & continentia ſæcularibus exhibebat: ut tàm Rex quàm Principes terræ illius, ſicut revera hominem Dei ipſum venerarentur & colerent, & audito eo multa facerent, & libenter eum audirent. Dux etiam terræ illius vir ſtrenuus & potens, totum ſe ad reverentiam beati viri ſubmittebat, faſtigiumque principatus ſui celſitudini ſancti-

ctita-

i) *MS* caſtigavit.

ctitatis ipsius adeò humiliabat, ut aliqvoties familiaribus suis diceret. Qvacumqve hora Abbatem Gerardum *k*) me videre confidero, tanto timore concutior, ac si omnia secreta & abstrusa *l*) pectoris mei pateant oculis ejus. Cùm autem jam senuisset, & usqve ad decrepitam ætatem pervenisset, qvadragesimum in Prælatione *m*) complens annum, variis qvoqve infirmitatibus corpus ejus qvateretur: cœperunt eum fratres rogare, qvatenus sicut communiter multo tempore cum eis vixerat, ita etiam sepulturæ locum apud ipsos sortiri dignaretur. Qvibus vir Domini respondit. Ne qvæso, ita loqvamini, filii mei. Oportet modis omnibus, ut in Claravalle *n*) moriar, & secundum sponsionem Deo dilecti patris mei, cum sanctis qui ibi pausant, in pace in idipsum dormiam & reqviescam. Causantibus illis & dicentibus: qvomodo te, pater, illuc reducere poterimus, cum præter veteranæ senectutis incommoda, tot & tantis infirmitatibus qvassatus & debilitatus sis, ut vix adproximos ter-

k) *MS* Gerhard. l) *MS* secreta & obscura pect. m) *MS* plantatione. n) *MS* Clarevalle.

terminos Danorum ſpirantem te pervenire poſſe putemus: cum multa fiducia reſpondit: Verbum Dei validum & fortè, vivum & efficax, qvod per os reverendiſſimi viri auribus meis infuſum, penetralibus cordis mei arrham bonæ ſpei hujus, quà feror, indidit, proſperos in hoc itinere ſucceſſus præſtabit: Vos tantum, qvod præcipio, feſtinanter implere curate. Itaqve geſtatorio inter duos eqvos compoſito, in eo collocatur: & non ſine grandi miraculo à finibus orbis per tanta terrarum ſpatia, per tot maris & fluminum *o*) pericula, Claram vallem *p*) pervenit, ibique in infirmitorio aliqvamdiu recubans, in bona confeſſione ſpiritum exhalavit. Accepit vero deſideratæ ſepulturæ locum juxta beatæ memoriæ Domni Benedicti nani tumbulã, *q*) qui eum familiariter in vita ſua dilexerat. Cujus deceſſum cum Rex Sveciæ comperiſſet, cum gemitu proteſtatus eſt, regnum & terram ſuam dignam non fuiſſe, ut in eâ tanti viri ſacra oſſa reqvieſcere debuiſſent.

o) *MS* fluctuum. p) *MS* Clarevallem. q) *MS* Domini Humberti tumbam.

F I N I S.

Emendanda.

PAg. 9. lin. 26. lege: *illustri viro alendum reliquerit.* pag. 20. lin. 5. lege: *Jaling Jutiæ inter.* pag. 28. lin. 4. lege: *ejusdem sancti.* pag. 32. lin. 7. lege: *effossus.* pag. 35. lin. 26. lege: *veniente Petro.* pag. 42. lin. 24. membrana habet: *datis etiam in fidejussoribus intercessoribus*, qvod primò emendare volui: postea ex pag. 84. lin. 6. vidi voculam *in* delendam esse, legendumqve: *datis etiam fidejussoribus.* pag. 48. lin. 6. lege: *Düsiæfal.* pag. 51. lin. 7. lege: *viro suo Herlogh.* pag. 55. lin. 26. lege: *Christus iterum.* pag. 71. lin. 26. lege: *vinctum ded.* pag. 74. lin. 13. lege: *filiam.*

